



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Thomæ Tamburini Societatis Jesu Siculi  
Caltasinettensis, In ... Universitate Messanensi Theologiæ  
Primarii Professoris, Tractatus Quinque In Quinque  
Ecclesiæ Præcepta**

**Tamburini, Tommaso**

**Dilingæ, 1697**

Tractatus II. De II. Ecclesiæ Præcepto. Hoc Est, De Suscipiendo  
Poenitentiae Sacramento.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40032**




**TRACTATUS II.**  
DE  
**II. ECCLESIAE PRÆCEPTO.**  
HOC EST,  
DE SUSCIPiendo POENITENTIAE  
SACRAMENTO.

**I**N duas partes dividitur hæc Tractatio. Altera explicat ea, quæ pertinent ad poenitentem, idque fiet à cap. 2. usque ad caput 24. prius enim in cap. primo aliqua pertinentia ad materiam, & formam hujus Sacramenti, præmittere oportebit. Altera explicat ea, quæ pertinent ad Confessarium, id quod fiet à capit. 24. ad finem usque, quo pacto declarata satis superque erunt quatuor partes hujus Sacramenti, nimirum Contritio cordis, Oris confessio, Absolutio, & Satisfactio. Nostris conatibus prosperè aspiret Deus.

**CAPUT I.**

*Præmittuntur quedam circa  
materiam, & formam hujus  
Sacramenti.*

**I.** um omnia Sacramenta consistunt materia, & forma, præstat hoc initio harum cognitionem de Sacramento Poenitentia breviter afferre.

*Materia Sacramenti Poenitentia.*

**2.** **D**ico primo, materiam remotam esse peccata ex S. Thoma 3. p.

*quest. 84.* Non est autem sensus, quasi peccata sint materia ex qua, sed materia, circa quam Sacramentum Poenitentiae veritatur. Nomine autem peccatorum non intelligimus peccatum originale, quod cum non sit nostra voluntate contractum, de eo poenitentiam habere non possumus. Quod si Sanctus Augustinus libro de vera, & falsa poenitentia cap. 8. ait, nos per totam vitam hujus originalis peccati poenitentiam agere, sumit nomen poenitentia satis amplè, & sensus est (ut habet S. Thom. in 4. dist. 16. q. 1. art. 2. questione, 2.) Nos per totam vitam dolere, quod in peccato sumus concepti, & nati filij iei &

& quod per totam vitam ob causam originalis peccati innumera mala patiamur.

Nec etiam intelligimus peccata actualia ante Baptismum commissa, ut non intelligit Tridentinum *sess. 14. à cap. 1.* Ratio autem est, quia hæc admittuntur (unt ab ijs, qui extra Ecclesiam sunt; quare Ecclesiæ iudicio non subdantur; erunt ergo materia Sacramenti Pœnitentiæ peccata commissa post Baptismum.

3. Quæres, peccatum, quod forte committit quis in ipso Baptismo, ut si quis adultus accedat ad illum sine ullo dolore de peccatis actualibus antea commissis, vel cum voluntate admittendi aliquod peccatum mortale, quo pacto is dicitur à Theologis accedere ad Baptismum cum fictione, tale, inquam, peccatum estne materia Sacramenti Pœnitentiæ?

4. Respondeo, esse materiam huius Sacramenti, atque adeò oportere, illud ad Confessionem deferre. Ratio est, quia huiusmodi peccatum completur ex eo, quod suscipitur Baptismus sine dolore, vel cum animo peccandi; Ergo prius intelligitur susceptus Baptismus, & deinde completum peccatum fictionis; ergo erit peccatum commissum post Baptismum, atque adeò materia necessaria confessionis, & practice quidem, hoc pro certo tenendum est, quia practice, ut notat de Lugo de Pœnitentiâ *disp. 26. n. 2.* nemo scire potest suam peccatum durasse solum toto tempore antecedenti, & non fuisse continuatum post Baptismum. Legantur

Suarez, & Valquez citati ab eodem de Lugo ibidem.

5. Dico secundò, peccata venialia esse quidem materiam idoneam, & sufficientem huius Sacramenti, non tamen necessariam, cum ea alijs etiam modis remitti possint ex *Trid. sess. 14. cap. 5.*

6. Eodem modo peccata, à quibus semel quis legitime est absolutus, sunt materia sufficiens, non autem necessaria. Suarez *disput. 18. de Pœnitentiâ sect. 1.* alijque passim: quod si dicas, formam huius Sacramenti, quam mox afferemus, in hoc casu fore falsam, cum non inveniatur peccata, à quibus Pœnitens per illam absolvatur, quandoquidem ab illis jam fuit in alia confessione absolutus; Respondeo, nequaquam fore falsam, siquidem sensus formæ est: Confero tibi per absolutionem gratiam sacramentalem, quæ ordinatur ex se, & vi sua, (si ab indispositione subjecti non impediatur) ad peccata remittenda, & consequenter, quæ peccata omnia deleberentur, si ea haberes.

7. Dico tertio, materiam proximam huius Sacramenti non esse solam oris confessionem, ut Durandus, & Gabriel dixerunt; sed esse tres actus pœnitentiæ, hoc est, actum contritionis, seu doloris; actum Confessionis, actum satisfactionis. Suarez *loco cit. sect. 3. cum S. Thom.* alijsque; & actus quidem doloris fit sensibilis (ut requiritur ab omni Sacramento) per ipsam oris Confessionem; satisfactio autem est pars, non quidem essentialis, sed integralis, verùm hæc latius Theologi,

& videri potest Bellarminus lib. 7. de  
pœnit. c. 12. alijque.

Forma Sacramenti Pœnitentiae.

8. **E**st absolutio, quæ ex communi  
Ecclesiæ consuetudine sic utitur.

*Dominus noster JESUS Christus te  
absolvat. Et ego auctoritate ipsius,  
mibi licet indigno commissâ, absolvo te,  
in primis ab omni vinculo excommuni-  
cationis, suspensionis, & interdicti, in  
quantum possum, & indiges; deinde  
ego te absolvo à peccatis tuis in NOMI-  
NE PATRIS, ET FILII, ET  
SPIRITUS SANCTI, Amen.*

*Passio Domini Nostri JESU Christi,  
& merita Beatissimæ MARIÆ semper  
Virginis, & omnium Sanctorum, &  
quidquid boni feceris, & mali sustine-  
ris, sit tibi in remissionem peccatorum,  
in augmentum gratiæ, & præmium vitæ  
aternæ, Amen.*

Aliqui etiã præmittunt illam præ-  
cationem, *Misereatur tui omnipotens  
DEUS, & dimissis peccatis tuis, perdis-  
cat te in vitam aternam, Amen.*

Sicuti alij omitunt illa verba (*mibi  
licet indigno commissâ*). Illud item ver-  
bum (*suspensionis*) apponi non de-  
bet, quando absolvitur Laicus, de quâ  
re vide Cajetanum *v. Absolvo*.

9. Notat autem S. v. absolutio n. l. in  
brevibus Confessionibus, ut illo-  
runt, qui sæpè contentur, satis esse  
dicere solum: *Ego te absolvo à pecca-  
tis tuis in NOMINE PATRIS, ET  
FILII, ET SPIRITUS SANCTI,  
Amen.*

Idem esto in necessitate urgente,  
mortis periculo, immò etiã in lon-  
gioribus Confessionibus, quando multi  
adsunt pœnitentes, quo scilicet ea brev-  
itate longius tempus suppetat Confessi-  
onem appetentibus.

10. Hæc est communis praxis.  
Verùm si inquiramus, quænam verba  
sint omninò necessaria ad essentiam ab-  
solutionis? Dico esse hæc, *absolvo te*,  
ita Valentia, Suarez, Navarrus, alijque  
suis in locis, & favet Concilium Flo-  
rentinum in decreto Eugenij, & Tri-  
dentinum sess. 24. cap. 3. quatenus di-  
cunt formam esse hanc: *ego te absolvo*,  
& ratio est, quia hæc duo verba satis  
significant id, quod per hoc Sacramen-  
tum efficitur. Nam sicuti particula  
(ego) sufficienter includitur, seu ex-  
plicatur in verbo, *Absolvo*, quod est  
primæ personæ; sic particula (à pec-  
catis) in eodem verbo includitur, &  
explicatur; absolvi enim dicitur, quod  
est vinculis ligatum, quæ vincula, quòd  
sint peccata, satis determinatè explica-  
tur ex eo, quòd peccata pœnitens sit  
confessus.

11. Duo hic nota; Alterum, dum  
prædicta Concilia dicunt, formam hu-  
jus Sacramenti esse, *ego te absolvo*, non  
ideò id dicunt, quia illud (*ego*) sit  
de essentia, expressè prolatum; sed  
quia voluerunt illud exprimerè, quod  
in usu Ecclesiæ Latinæ usurpatur.

12. Alterum, invocatio Sanctissi-  
mæ Trinitatis, licet in Sacramento Ba-  
ptismi, & Confirmationis pertineat ad  
eorum substantiam; non tamen perti-  
net in Sacramento hoc Pœnitentiæ;  
Ratio est ipsa Christi Domini institu-  
tio;

dio; Et merito quia in Baptismo fit professio fidei, & in Confirmatione datur robur ad eandem fidem publicè confitendam; quare congruum fuit, ut in illarum collatione fieret mentio præcipui mysterij fidei, quæ congruentia non apparet in Sacramento Pœnitentiæ. Inmò cum hoc Sacramentum sit institutum ad modum judicij, & prolationis sententiæ, in quibus non solet apponi ejusmodi invocatio; merito in illo non apponitur, nisi ex congruitate. Peccaret tamen venialiter, qui extra necessitatem invocationem prædictam omitteret, quia ageret contra usum communem Ecclesiæ, quamvis non in re gravi.

13. Addamus & alia duo; Primum, in casu necessitatis, qualis esset V. G. in naufragio, quando plures peterent absolutionem, & ob temporis angustiam non possent absolvi separatim, absolvi sic poterunt. *Ego vos absolvo, &c.*

14. Secundum, non est necesse proferre illud (*ab omnibus*) quia jam unum mortale non absolvitur sine alio, saltem indirectè remisso; & Rituale Romanum in forma absolutionis hanc vocem non habet, ut nec Tridentinum modò allatum.

15. Ab his, quæ hæctenus dicta sunt, dissentiant nonnulli; quæ dissentio, cum sit Theologica, videatur apud de Lugo *disput. 13. de Pœnitentiâ n. 60. & deinceps.*

#### Mutare verba Absolutionis.

16. **D**ubitabis primò: An valeat absolutio, si fiat mutatio in

verbis? Rursus, an ea mutare liceat?

Respondeo ad primum, si remaneat idem sensus, sanè valebit, ut si Sacerdos dicat.

*Absolutionis Sacramentum tibi confero, vel do; condono tibi peccata tua; absolvo Excellentiam vestram vel Dominationem tuam, &c. Relaxo, libero te à peccatis tuis; Remitto tibi peccata tua.*

Notat autem hic Suarez, & Valentia melius dici (*absolvo te*) quam (*remitto tibi*) quia in verbo, *absolvo*, magis explicitè actus judicij significatur.

Præterea, si detur absolutio sub imperativo modo, vel indicativo passivo, valebit etiam absolutio, si Sacerdos dicat:

*Absolvere, penultima correpta; Absolvaris: absolutus esto. Remittuntur à me tibi peccata tua, Ita de Lugo de Pœnitentiâ loc. cit.*

17. Denique Scotus in 4. dist. 54. ait, valere absolutionem, si Sacerdos proferat aliquo modo ex sequentibus, cum tamen non valere dicat Sotus in 4. dist. eadem q. 1.

*Jubeo, te absolvi; Placet mihi, te absolvi; mando, præcipio, volo te absolvi.* Profectò saltem dubiz erunt ejusmodi formulæ.

18. Contra verò, absolutio certò non valebit, si detur sub verbis operativi modi, vel sub verbis denegatorijs, sic.

*Utinam absolvat te DEUS à peccatis tuis? Absolutionem peccatorum tribuat tibi DEUS. Oro DEUM, ut te absolvat.*

San-

mutat in biu...

AMBRINI

in

decc: præcept

de

E II

306:

Sanctus Thomas *opuscul. 22 c. 1. art. 2.* ait contrariam opinionem esse præsumptuolam, & errori proximam; Et merito, quia *Joann. 10.* Christus dat Sacerdotibus absolute potestatem absolvendi, dicens: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis;* instituit enim hoc Sacramentum per modum iudicij, in quo sententia non fertur, deprecando: non sic in Sacramento extremæ unctionis, quia hoc institutum est sub verbis deprecatorijs *Jacobi 5.* ubi dicitur, *Inducant Presbyteros Ecclesie, & orent super eum, &c.*

19. Jam verò, quoad licitum usum dico, semper graviter peccari, si ita mutetur forma, ut invalidum reddatur Sacramentum, vel reddatur dubium, quia tunc peccatur contra reverentiam Sacramenti, illud irritum reddendo, & contra pœnitentem, de gratia Sacramenti illum defraudando. Quando autem ita mutatur, ut non reddatur invalidum, peccabitur ex eo capite, quia receditur ab usu, & praxi Ecclesie in re gravi; nisi fortè tam modica esset mutatio, & parum pro nihilo reputaretur, veluti esset omittere illud (*Ego.*)

*Absolvere sub conditione.*

20. **D**ubitabis secundò. An absolutio possit sub conditione conferri?

Respondeo, & dico primò. Absolutionem datam sub quacunque conditione in futurum pendente, non valere: ut si Sacerdos dicat: *Absolve te, si sacram imaginem Drepanicam Virginis in visceris, vel si furto ablata restitueris, vel si tunc superior ratam habue-*

*rit hanc absolutionem;* ita Cajetanus, v. *absolve,* & passim Theologi. Ratio est, quia Sacramenta non differunt effectus suos in futurum, sed statim illos conferunt; siquidem ex institutione Christi, statim ac Sacramentum existit, gratiam parit, ut latius explicant Theologi; multo magis id dicendum est in Sacramento Pœnitentiæ, in quo semper esset periculum illud frustrandi, si adveniente conditione, Pœnitens inveniretur indispositus ad gratiam consequendam.

21. Dico secundo, valere absolutionem datam sub conditione de re præterita, vel de re præterita, quæ supponatur jam antea præexistisse; ut si Sacerdos dicat: *Absolve te, si tuorum peccatorum dolorem habes, vel habuisti; si animum habes restituendi, vel restituisti,* immo etiam si per magnam imprudentiam dicat: *Ego te absolve, si hoc mane ortus est sol.* Ratio est, quia sic certum efficitur Sacramentum; verum valdè notandum est, Sacerdotem nunquam debere sic absolvere; sed prius interroget pœnitentem, an dolorem habuerit, vel habeat? An restituere velit? &c. Postea absolute absolvat, sic enim requirit forma Iudicij, ad cuius normam institutum est hoc Sacramentum, Cajetanus *ibid.*

22. Dico tertio, licitè conferri absolutionem sub conditione in sequentibus casibus.

Primo. Quando Sacerdos dubitat, an is, cuius confessionem audit, sit rationis compos, ut si audiat Confessionem pueri, vel semitæui: potest enim tunc dicere: *te absolve, &c.* si usum

rationis habes, ita Medina de instruct. Sacerdotum lib. 2. cap. 12. ubi notat hujusmodi conditiones meliùs esse mente adijcere, quàm voce proferre.

23. Secundò, licita etiam erit absolutio, quando, omnibus expensis, dubitat Sacerdos, an sint peccata ea, quæ pœnitens confessus est; potest enim dicere *absolvo te &c. si ea qua audivi, sunt peccata Medina ibidem.*

Hic siste, lector, & habe hujus rei distinctiorem notitiam: Doctores nonnulli cum Suarez d. 28. de Pœnit. sect. 1. n. 13. advertunt, si quis ad Confessionem affert sola peccata dubia, debere eum moveri, ut addat aliquod peccatum certum aliàs confessum, ut nimirum certa conferatur absolutio: quòd si certum inveniri nequeat, tunc absolvi poterit sub conditione, modo dicto; si tamen prudenter judicet Confessarius, ita consuli salutis Pœnitentis.

Universaliùs autem, & expeditiùs sic habet Merolla som. 1. d. 3. n. 259. *Quamvis optimum Consilium sit, si confitens materiam dubiam; adjungat, aliquod certum, aliàs confessum; tamen consilium id est, nec videtur præceptum: quia præcepta non sunt facile multiplicanda sine cogente fundamento; nullibi enim tale præceptum invenitur impositum, neque injuria sit Sacramento, quia verè non exponitur periculo irritationis: non enim forma absolutionis tunc cadit supra materiam non sufficientem, sed tantùm conditionalis er, si adest materia: conditio autem nihil ponit in esse; Adde quòd teneretur quis pluries idem peccatum confiteri, quòd nullo jure prohibetur.* Hæc Merolla.

Tambur. de Præcept. Eccles.

24. Tertio; licita etiam erit absolutio sub conditione, quando Confessor audivit jam Confessionem, & dubitat, propter aliquam animi v.g. distractionem, an absolutionem contulerit pœnitenti. Tunc enim potest dicere: *Ego absolvo te, &c. mente intelligendo, si te prius non absolvi.* Cajetanus loc. cit.

25. Quarto; licita etiam erit absolutio sub conditione, in mente, ut dictum est, retenta, in casu proximè morituri, qui sit ratione destitutus, nempe sic dicendo: *Ego te absolvo, &c. si es bene dispositus.*

Id quòd distinctiùs explicabimus infra cum de communione cap. 7. n. 20. &c. 16. n. 13.

*Forma absolutionis ab excommunicatione.*

26. **D**ubitabis tertio per hanc occasionem, quibusnam verbis conferenda sit excommunicationis absolutio pro foro conscientie, quam scimus semper necessariò dandam esse ante absolutionem à peccatis? ut habes apud Suarium de censuris disp. 10. sect. 3. n. 19.

Respondeo, Absolutio à peccatis, quia est pars Sacramenti, non potest mutari ab ea, quam nuper attulimus, cum sit instituta à Christo Domino; absolutio autem ab excommunicatione, & cæteris censuris (quia non sunt peccata, sed pœnæ peccatis impositæ) potest conferri quibuscumque verbis, per quæ absolvens explicet, se velle tollere excommunicationem.

H

27. Con-

manet in bibliot.

TAMBURINI

in

de

III

306

27. Consueta tamen forma pro foro conscientiae (nam pro foro externo, lege Bonacinam *disp. 1. de cens. quest. 3 p. ult.*) est huiusmodi.

*Ego te absolvo à vinculo excommunicationis, quam propter hanc, vel illam causam, v. g. ob percussione[m] Clerici incurristi, seque restituo Sacramentis Ecclesiae, & communicationi fidelium; deinde te absolvo à peccatis, &c.*

Hac tamen expressio causae certè omninò necessaria non est, quare in rigore satis erit dicere: *Ego te absolvo ab excommunicatione, quam incurristi; seu quam habes, deinde te absolvo à peccatis, &c.*

28. Notat item Avila *p. 2. cap. 7. disp. 3. dub. 3.* in foro Sacramenti poenitentiae non esse regulariter omittendam formulam illam universalem, modò *n. 8.* dictam: *Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis suspensionis, & interdicti, in quantum possum, & indiges, &c.* non esse, inquam, omittendam, etiamsi poenitens nullam censuram fateatur à se contractam, fortassè enim poenitens laborat aliqua censura, cujus oblitus est, & cujus Confessor habet potestatem absolvendi.

29. Propter imminentem mortem excommunicati, qui petit absolutionem excommunicationis cum debita dispositione, ut semper supponendum est, & cum satisfactione partis, si quae sit necessaria, satis erit breviter dicere: *Absolvite à censuris, & à peccatis in Nomine Patris, &c.* Pro dicta satisfactione videri potest de Lugo *disp. 16. de Poenit. à n. 625.*


30. Quid, si quis in dicto, vel simili casu solùm sic proferat, *Absolvo te à peccatis tuis*, remanebit ne poenitens absolutus ab excommunicatione, qua laborat?

31. Respondeo. Licet is peccaret graviter, si scienter (nam bona fides excusaret à peccato) sic proferret, intendendo priùs absolvere à peccatis, & deinde ab excommunicatione, nam ligato excommunicationis vinculo conferretur peccatorum absolutio, quod graviter prohibetur, ut modo innuimus *num. 26.* quia Ecclesia repellit excommunicatum à participatione Sacramentorum; unde debet Confessarius prius curare, ut poenitens sit ab excommunicatione liber, & deinde absolutionem peccatorum impertiri, tamen validè, in probabilissima opinione, & excommunicationem, & peccata absolveret (posito quòd potestate absolvendi ab utrisque polleat) illud enim *absolvo* potest significare absolutionem tum à peccatis, tum à poenis propter peccata contractis semper nihilominus tutius est exprimere sic expressè: *Absolvo te ab excommunicatione* (intellige, quam absolvere potes) *& à peccatis tuis, &c.*

lege Suarez de Censur. *disp. citat.*

*sect. 2. & Dianam p. 3.*

*tract. 9. resol. 31.*





## CAPUT II.

De ijs, quæ pertinent ad  
Pœnitentem.De ijs, quæ ad eundem per-  
tinent ante Confessionem.

Examen.

1. **A**ccesurus ad Sacramentum Pœ-  
nitentiæ, se prius præparare  
debet fidelis per examen conscientie,  
quo in amaritudine animi, omnia sua  
peccata, quæ Confessori propalare de-  
bet, recognoscat. Quale autem hoc  
esse oporteat, habe ex de Lugo disp. 16.  
de Pœnit. n. 589.

Pœnitens obligatur tantum ad exa-  
men humanum, non verò ad exactissi-  
mum; hoc est, obligatur ad tale, quo  
Sacramentum hoc non reddatur nimis  
grave, & onerosum, nec est bona conse-  
quentia: si plus hic se examinaret, plus  
inveniret; Ergo ad hoc obligatur; non  
est, inquam, bona consequentia, quia  
non est attendendum ad exactam, & in-  
tegram confessionem peccatorum, sed  
etiam permaximè, ne Sacramentum  
ex hoc capite reddatur nimis onerosum,  
& grave. Hæc ille.

2. Et paulò post loquens, qua ra-  
tione Confessarius debeat pœnitentem  
interrogare de peccatis, hæc habet in-  
summa: Circa huiusmodi examen, hu-  
manaque interrogationes non potest da-  
ri una & eadem regula pro omnibus;  
pendet enim ex capacitate, & dispositio-  
ne corporali, aliisque circumstantiis:  
quare pauciores, & crassiores interro-  
gationes debent fieri homini inculto, &  
barbaro, quales sunt Indi Occidentales,

quàm alteri Europæi; plenius item ex-  
aminandus est Rusticus, vel qui gravi-  
ter agrotat, vel qui plura habet peccata,  
vel qui confessionem multorum anno-  
rum facit, quàm homo civilis, vel ho-  
mo sanus, aut qui pauciora habet pecca-  
ta, vel unus, aut alterius hebdomadæ  
confessionem facit: Et ratio est, quia  
secus redderetur confessio onerosa, &  
nimis gravis pro dictis prioribus pœni-  
tentibus, quæ talis non redderetur pro  
posterioribus: & hæc est ratio, cur à  
Meretrice, & Concupinatio, & simi-  
libus minus exactè, & distinctè petamus  
numerum peccatorum, quàm si per men-  
sem, vel per hebdomadam solam v. g. in  
eo peccato fuisset (de qua tamen re cla-  
rius dicemus infra cap. I. §. a num. 30.)  
quia nimirum diligentia, quæ pro pec-  
catis unius hebdomadæ distinctè confi-  
tendis sufficeret, ea, si pro longo tempo-  
re examinando adhiberetur, difficulta-  
tem talem & molestiam ingereret; quæ  
redderet onerosam nimis confessionem.  
Hæc ex de Lugo:

3. Illud denique bene habent Do-  
ctores, quia obligatio ad examen est  
humana, & moralis; ideo illud exa-  
men peccatorum est necessarium, &  
sufficiens, quod faceret quis in aliquo  
negotio suo gravi, v. g. quod faceret  
diligens operarius in rebus suis expen-  
dendis, & componendis, quale homi-  
nes adhibent ad evitandos morbos  
corporales, nempe prudens, & non  
nimium; de hoc recurret iterum ser-  
mo c. 26. n. 7. & 8.

4. Quares, obligaturne pœnitens,  
ut peccatorum suorum memoriam reti-  
neat, illa sibi scripto annotare?

H. 2

Re-

Respondeo. Certè id laudabile est, ne ex inadvertentia taceatur aliquod peccatum; tamen neminem ad id obligari, puto cum Decastillo, *de penitentia disp. 6. dub. 12. num. 247.* Ratio est, tum quia Scriptura est ex se patens, tum quia sicuti non est peccatum omittere confiteri aliquod propter oblivionem; ita neque est peccatum impedire omissionem obliviosam, lege Suarium *d. 27. de penitentia sect. 3.* & Sotum *in 4. d. 16. q. 2. art. 4.* Qui Sotus addit, non esse laudandum, peccata scribere; sed ab hoc Soti dicto multi meritò dissentiunt; fatentur tamen, quamvis sit laudabile, peccata scribere, per hoc nihilominus non esse dandam occasionem scrupulis. Nam nimia diligentia (ait Decastillo *de penitentia c. 17. n. 39.*) in perscrutando numero peccatorum est peccatum veniale, quia in omni virtute morali peccatur, non solum per defectum, sed etiam per excessum. Hæc ille.

Quare, sit, nec ne consulendum peccata scribere, magna opus est discretione; nam aliquando ea scribere, occasio est alicui fovendi scrupulos, & huic non est id consilij dandum, sed aliquando pro eo, qui facilè sibi persuadet, non omnia peccata se patefecisse, est aptum remedium, ea scribere, ut scilicet ex adnotatis deinde noscat, se jam illa fuisse confessum.

*Cordis Dolor.*

5. **Q**uamvis doloris actus necessarius pro Sacramento Pœnitentiæ elici possit in ipsa confessione, sed necessariò, ut mox dicemus, ante

absolutionem; tamen quia solet cum majore securitate elici antea, ideo de illo hic, quasi in suo loco agendum est.

*Premittitur, quid sit contritio, quid sit attritio?*

6. **C**ontritio est animi dolor, seu detestatio de peccato contra Deum commisso, & que propter Deum ipsum, cum proposito non amplius peccandi; contritio igitur formaliter dicitur odium, & detestationem peccati, ex qua oritur tristitia, & dolor: sicuti ex amore, quando objectum est præsens, nascitur gaudium: tunc autem verè quis detestatur peccatum, quando actu quocunque sive intento, sive remisso, quodlibet potius malum eligeret, quàm peccatum; quod alij dicunt, tunc verè hominem detestari peccatum, quando dolet de eo magis appetitativè, quàm de alio quocunque malo; non verò quasi necesse sit magis sensibiliter; nam homo magis sensibiliter dolet de amissione pecuniæ, & tamen quia appetit magis filium v. g. vel gratiam Dei, quàm pecuniam, dicitur amare magis filium, vel Deum, quàm pecuniam.

7. Attritio autem est dolor, & detestatio de peccato contra Dei voluntatem commisso cum prædicto proposito, & que vel primò propter metum gehennæ, vel secundò propter amissionem gloriæ, vel terciò propter peccati turpitudinem: unde colligis, contritionem oriri ex amore Dei super omnia, & ex timore filiali; attritionem ex timore servili.

Præter prædicta tria attritionis motiva, est etiam quartum, id est metus mali

li temporalis; sed diligenter est advertenda necessaria distinctio, si enim execraberis peccatum propter metum temporalis mali, v. g. carceris, infamiz, ægritudinis, vel similibus, & nihil addas præterea; non habebis dolorem sufficientem pro Sacramento, si quidem ejusmodi actus non excedit dolorem naturalem; sed si execraberis ob metum talium malorum, quæ propter peccata infliguntur, vel infligenda sunt à Deo, tunc enim verò sufficienti dolore eris instructus: quia illud (à Deo) ostendit te affici dolore supernaturali; quam supernaturalitatem supponunt, seu cognoscunt communiter Theologi, quando ejusmodi actus eliciuntur à fidelibus supernaturali habitu fidei per Baptismum exornatis.

8. Quæres: dictum propositum de non amplius peccando, debetne exprimi in contritione, vel attritione? An satis sit involvi implicitè in ipsa detestatione?

9. Respondeo: multi Doctores requirunt, debere necessariò exprimi: alij tamen cum Bonacina de Penitentia disp. 5. sect. 5. num. 8. satis probabiliter ajunt, satis esse illud propositum, quod implicitè involvitur in ipsa detestatione, seu displicentia: is enim, cui verè displicet peccatum, implicitè intendit non amplius peccare; nemo enim vult facere illud, quod ipsi eidem displicet.

10. Illa tamen animadversio est hic pernecessaria: nam quando dolor est ex motivo turpitudinis peculiaris, quæ sit in aliquo peccato v. g. quæ est in peccato luxuriæ, non satis est propo-

situm implicitum, quod includitur in illo dolore, sed in hoc casu addendum est propositum explicitum universale non amplius peccandi; ratio est, quia pro Confessione Sacramentali requiritur, ut fidelis proponat, se nolle deinceps illud nec aliud peccatù admittere; at in dolore de peccato ex peculiari dicto motivo non includitur propositum non admittendi ullum aliud peccatum. Qui enim dolet, se peccasse ex motivo turpitudinis v. gr. luxuriæ, non habet propositum non peccandi in alia actione, in qua talis turpitudine non invenitur v. g. in occisione sui inimici: tunc ergo vel addatur explicitum propositum non committendi alia ulla peccata, vel quod erit faciliùs, doleat ex motivo universali, quale est motivum ex ipsa offensa Dei, vel ex timore gehennæ, vel amoris Gloriz.

11. Si iterum quæras, an sicuti sufficit pro Confessione dolor solus, abstrahendo à proposito, quando motivum est universale; sic satis sit propositum non amplius peccandi, abstrahendo à dolore, seu quod idem est, sine explicito dolore?

Respondeo, non esse satis; ratio est manifesta, quia in proposito de futuro non includitur odium præteriti; posset enim quis sic dicere: nolo in futurum peccare, placet tamen mihi antea peccasse; at in dolore verò id non accidit; qui enim verè dolet de aliquo præterito malo, implicitè vult se cavere in futurum.

12. Denique notat hic rectè Sylvester in Confessione p. 9. 21. te posse absolute, & sufficienter pro Confessione

matet in biu...  
CAMEBRIN  
in  
peccati propositi  
VARRI  
de  
bus ad...  
E III  
30.6.

proponere, non peccatum, quamvis timeas, vel etiam tibi certò persuadeas, te propter fragilitatem tuam iterum peccatum; Ratio est, quia velle, & proponere est actus voluntatis, ac existimare, te relaplurum, est actus intellectus.

*Praxis actus contritionis.*

13. **A**ctus contritionis est hic apud Fagund. *praecepto Ecclesia 2. lib. 2. c. 3. n. 15.*

De peccato, quia est Dei offensa, & injuria, supra id, quod me poenitere potest, poenitet, & propono cum divina gratia, me amplius mortaliter non peccatum.

Vel. Poenitet me intimè de peccatis meis propter Deum, quem summè diligo, emendationemque propono in futurum.

Suarez *d. 4. de Poenit. sect. 2. n. 14.* sic format actum contritionis. Poenitet me intimè de peccatis propter Deum, & de cetero emendationem propono in futurum.

Idem *ibid. disp. 3. sect. 11.* cum Theologis advertit, detestationem, quam contritio dicit, debere esse supra omne malum non formaliter, seu explicitè comparando peccatum cum malis, sed solùm virtualiter, ex vi scilicet excellentissimi motivi, quod in casu nostro est bonitas Dei à nobis offensa; in hoc enim motivo includitur votum fugiendi peccatum supra omnia alia mala.

Gobat in Alphabeto communicationum *casu 15. n. 255.* sic habet. Poenitentes communiter benè sic dicunt: Domine Deus, doleo de omnibus pec-

catis, quibus te offendi; vel doleo, quòd te Deum summum bonum offenderim.

*Praxis actus attritionis.*

**A**ctus attritionis apud eundem Fagund. *loco cit.* hic est. Poenitet me de meis peccatis, quia propter illa Deus beatitudine me privare potest, vel multis malis sive temporalibus, sive aeternis affligere; vel quia per illa coram Dei oculis anima mea deturpatur, & insuper propono emendationem in futurum.

Vel. Propter bona, quibus Deus me privare potest, vel mala, quibus me potest torquere, displicet mihi peccasse.

14. Hic quæret aliquis, cur in aliqua ex prædictis formulis fiat mentio actus amoris, seu dilectionis DEI, in aliqua non item; quæret, inquam, an in actu Contritionis necessarius sit actus amoris DEI summè dilecti?

Respondeo. Quamvis perfectiùs sit addere actualem amorem, seu dilectionem DEI, tamen necessarius non est, cum sufficiat virtualis amoris actus inclusus in ipsa detestatione peccati. Probat, quia dicente solùm David (*Pecavi Domino*) quæ verba significant solùm detestationem peccati, statim subditur (*Dominus quoque transtulit peccatum tuum*) ergo sufficit detestatio, in qua inest virtualiter charitas; tacitum enim, & expressum, vel virtuale, & formale parificantur; eò etiam magis, quia in *Trid. sess. 14. c. 4.* ubi de contritione agitur, nulla fit mentio actus amoris.

Illud

Illud hic addo libenter, quod quamvis certò in hac vita nesciamus, an veram contritionem eliciamus, sic enim sciremus nos esse certò in gratia, contra illud Ecclesiastici (*nemo scit odore, an amore dignus sit*) tamen de hoc aliquæ probabilitates dantur, inter quas illa est, præcipua; si quis paratus sit realiter mori potius, quam peccare mortaliter, ut docet Sylvester v. *Contritio* n. 3. Navarr. in *Manuali* c. 1. n. 6. & Sà v. *Contritio* n. 3. alijque &c.

15. Ex dictis collige, rectè Theologos apud Præpositum de *Pœnit.* dub. 3. n. 3. notare, si quis doleat, se non dolere de peccatis, eum non esse sufficienter dispositum pro Confessione; quia pro hac requiritur dolor de peccatis, non verò dolor de carentia doloris; in timoratis tamen conscientijs non habentibus ullum actualem affectum ad peccatum, dolere, quod non doleant, vel optare se dolere; satis esse, notat Layman *lib. 5. tract. 6. c. 4. n. 5.* ejusmodi enim animi motus est in his signum veri doloris.

16. Simili modo actus amoris Dei solus sine dolore, seu detestatione peccati non est pro Confessione sufficiens, quia Concilium Tridentinum pro parte hujus Sacramenti requirit dolorem, seu detestationem; licet dictus amoris actus sit sufficiens ex probabilissima opinione ad justificandum peccatorem, extra Confessionem; non tamen intra illam propter rationem dictam, lege Suarium *disp. 5. de Pœnit. sect. 4. n. 5.* Quoniam verò fieri moraliter non potest actu amantem DEUM, si suorum peccatorum recordetur, illa non dete-

stari; ideo, si quis in suis confessionibus actum dictum amoris dumtaxat adhibuit, non debet esse sollicitus de validitate suarum Confessionum; quia practicè judicandum est, habuisse etiam dolorem, ita Coninc. *disp. 2. num. § 1. & seqq.*

His ita breviter explicatis, sunt nunc pro praxi quatuor dubitationes enodandæ.

### Prima dubitatio:

#### Tempus eliciendi doloris actum.

17. **C**um ego debeam hodie, vel cras, vel postridie v. g. confessionem peragere, tripliciter dubito de tempore, quo illum elicere debeam. Primò, si dolorem hoc manè v. g. eliciam sine intentione, seu sine memoria confitendi; deinde mihi volenti confiteri eodem die, satisne est dolor peractus, quamvis habitus non ex intentione confitendi? Secundò: an sit necesse, illum elicere, antequam incipiam peccata manifestare Confessario? An verò sufficiat, si peccatis manifestatis, doleam de illis ante absolutionem? Tertio: An dolor habitus heri, vel nudius tertius, vel etiam antea sufficiat?

18. Respondeo ad primum; satis esse, ita de Lugo *disp. 14. de Pœnitent. sect. 4.* nam hæc duo, quia volo confiteri, doleo; & quia dolui: volo confiteri; æquivalentia sunt; vide tamen omninò, quæ in hanc rem dicam n. 29. necesse tamen est, ut in hoc secundo mo-

matet in binis...

MANEVRIM  
in  
secundæ præcepti  
NAVARRI  
de  
confessione & absolutione  
E II  
306

modo dolorem non retractaverim, de qua retractatione mox à n. 21.

19. Ad secundum respondeo, sufficere; ejusmodi enim confessio satis est, & denominatur dolorosa, sive ab actu doloris antecedente, sive ab immediatè consequente, sed ante abtolutionem; quæ, quia perficit hoc Sacramentum, debet cadere in confessionem dolorosam, tanquam in suam proximam materiam, & de facto cadit in utroque prædicto modo.

20. Ad tertium respondeo sufficere non modò, dolorem exhibitum, hoc manè, vel heri, verùm etiam ante duos, vel tres dies, dummodò adsint duæ conditiones.

Prima est quod is dolor non fuerit à te retractatus, quia retractatio tollit moraliter actum jam antea factum, & consequenter confitereris tunc sine dolore.

21. Revocatur autem actus doloris, vel per actum contrarium, idest, per complacentiam peccati, de quo doluisti, vel per quodlibet aliud novum peccatum mortale.

22. Quid si quis primò, volens confiteri peccata mortalia, & simul non pauca venialia, de his doleat ex motivo universali, idest, v. g. quia sunt DEI offensa; sed deinde antequam accedat ad Confessionem, peccet uno, vel altero veniali, præsumiturne, per hoc veniale commissum, revocasse dolorem illum antecedentem? Nam per novum mortale, jam diximus omninò revocari.

Secundò quid, si quis doleat ex eodem motivo, se commississe multa ve-

nialia, deinde verò incidat in unum, vel alterum veniale?

23. Respondeo ad primum, non præsumi, dolorem retractasse, nam committere veniale, non est revocare dolorem de mortali, cum possit culpa venialis esse simul cum gratia, & DEI amicitia, & consequenter veniale potest consistere simul cum dolore de mortali.

Ad secundum eodem modo esse respondendum, probabilissimum est; quia unum veniale non revocat dolorem de multis venialibus, quæ solent esse, vel diversæ speciei moralis, vel graviora; ita de Lugo *loc. cit. de Pen. n. 145. & 147.* alijque apud Dianam *p. 11. tract. 5. ref. 25.*

Dixi (de multis venialibus) nam si dolor fuit de uno peccato, quod solum Confessioni subdere intendebas, v. g. de mendacio officioso, si deinde incidas in simile aliud officiosum mendacium, tunc certè revocabis dolorem præhabitu; quia sic non remaneret inde dolor de mendacio, si mendacium commisisti. Sic discurte in simili.

24. Altera conditio, quæ requiritur, ut cum præterito dolore semel peracto, & non revocato accedas legitime ad Confessionem cum novo dolore, illa est, ut dolor præteritus non sit tam distans à Confessione, ut hæc non faciat moraliter unum, cum præhabito dolore, si enim quis ritè doluit de mendacio v. g. abhinc duobus, vel tribus annis, & ejusmodi dolore, quamvis non revocato, velit uti hodie ad illud mendacium confitendum, non videtur hæc confessio cum illo dolore facere


cere

## Secunda dubitatio:

## Novus dolor in iterata confessione.

facere unum moraliter pro Sacramento Pœnitentiæ; non ita si doluisti heri, vel nudiustertius, quia parva hæc distantia non impedit moralem dictam unitatem in hoc Sacramento, quod requirit conjunctionem formæ cum sua materia; sed, quia est per modum iudicij, non requirit illam conjunctionem adeo rigorose sicuti quædam alia Sacramenta.

25. Hæc est Doctrina tuta, & securæ; nihilominus aliqui innixi forsitan super hac ipsa forma iudicij, quæ non exposcit unitatem, seu propinquitatem inter sententiam, & Confessionem rei, ajunt, sufficere ad validam Confessionem Sacramentalem illum dolorem, qui per quodcumque temporis longi spatium præcedit confessionem, modo ubi semel est habitus, nec expressè, nec implicite fuerit retractatus. Ita Leand. de Sacrament. tom. 1. tract. 5. disput. 7. quest. 6. & apud Dianam part. 9. tract. 9. resol. 51. ita etiam Escobar in Theologia morali tom. 2. lib. 14. sect. 52. probl. 24. num. 123. Addo tamen ego difficillimum esse creditu, quod non fuerit in tempore dolor, præsertim de venialibus, (nam facilius credi potest de mortalibus) retractatus, quia in venialia septies cadit justus; difficillimum ergo est, ne dicam impossibile; nam propterea consilium sanum erit, ut quanto proximius ad Confessionem potes tuum dolorem exhibeas.



Tambur. de Præcept. Eccles.

I

Addo

26. Diximus supra, eadem peccata semel per absolutionem Sacramentalem remissa, posse iterum in alia confessione ritè absolvi; jam ergo dubito, an id ritè fiat sine novo actu doloris, sed cum illo tantum, cum quo collata fuit prior absolutio, posito semper, (ut certè debet, semper supponi) quod dolor ille retractatus non fuerit?

27. Respondeo: Quamvis sciam aliquos apud Dianam p. 15. tract. 16. resol. 39. requirere omnino novum dolorem; ajo tamen, esse probabilissimum, sufficere dolorem priorem; satis enim est pro Sacramento hoc, ut repetantur illæ duæ partes sensibiles, nempe confessio, & absolutio; repetita siquidem confessione vocali, repetitur saltem virtualiter dolor præcedentis confessionis, posito, quod non fuit retractatus: quo pacto dicitur perseverare moraliter. Ita Diana loco citat. citans cum alijs de Lugo, & Leandrum de Sacram. tract. 5. disp. 7. quest. 4.

Qui Leander rectè addit, ex hac probabili sententia posse Confessarios, sedare multos scrupulos, præsertim eorum, qui continentur de peccatis venialibus ordinarijs, & cum illis de aliquo peccato mortali, aliàs confessio, & absolutio; nam tunc in ejusmodi nova confessione non tenentur elicere novum actum doloris;

matet in biu...

AMBRUM

in

de

III

306

Adde ego, hanc eandem doctrinam usui esse posse pro ijs eventibus, in quibus post collatam absolutionem Pœnitens aliqua peccata, quæ oblitus erat, manifestat, sive immediatè post, sive post aliquod tempus, neque enim est necesse repetere dolorem, si dolor fuit conceptus ex motivo generali (juxta superius explicata) & non revocatus. *Lege Januarium p. 1. resp. 30.*

28. Inquires, quanto tempore potest antiquus dolor, quo semel quis confessionem peregit, si non revocatus, inseruire pro alia confessione?

Respondeo, illud tempus sufficere, quod diximus n. 24. hoc est, ut antiquus ille dolor non sit ita tempore disjunctus ab hac confessione, ut non faciat unum moraliter cum illa. Ita de Lugo de Pœnitent. disp. 14. sect. 2. sed quia dicto n. 24. nonnulli docuerunt, quamcunque distantiam sufficere; modò non sit dolor ille retractatus; idè idem hinc propter identitatem rationis affirmat.

29. Inquires iterum, si quis oblitus doloris habitus audiustertius v. g. in sua Confessione (idem dic si extra) confiteatur, sufficienterne est dispositus?

Respondeo, mihi videtur non sufficienter; quia ille antecedens, quamvis non retractatus dolor, propter oblivionem nullo modo relatus ad præsentem confessionem; non potest unum moraliter facere cum ipsa. Debet igitur, ut docui n. 18. Pœnitens referre dolorem illum ad actum hujus confessionis, seu illo uti pro hac confessione, mente v. g. dicendo, quia

tunc dolui, nunc confiteri volo, ut scilicet aliquo tandem modo motus ab illo præcedente dolore accedat ad confessionem hanc, ita loquitur de Lugo *loc. cit. n. prec. 50.*

Neque dicas; si immemor ego, quòd ante dies tres v. g. volui restituere centum meo creditori, si nunc solvo immemor illius voluntatis, satis superque obligationi meæ satisfacio; ergo similiter in casu nostro; nè dicas, inquam, nam idè sic satisfacis creditori, quia, dum ipse habet à me sua centum, auferitur materia meæ obligationis; quod certè non est in casu nostro, in quo obligor pro materia ponere confessionem junctam saltem moraliter, cum dolore.

### Tertia dubitatio:

#### Dolor pro venialibus.

30. AN in confessione pro solis venialibus de novo commissis (idem queritur de mortalibus aliàs absolute abstrahendo à doctrina à n. 26. allata) an, inquam, requiratur dolor, & propositum, sicuti requiri, dictum est pro peccatis mortalibus nunquam absolutis? Dicamus priùs de dolore, mox de proposito.

Et quidem absolute loquendo, etiam pro Confessione venialium requiritur suus dolor conceptus ex aliquo motivo, ex supradictis n. 5. & deinceps; quia etiam tunc debet adesse confessio dolorosa, quæ est pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ.

31. Sunt notandæ considerationes nonnullæ. Prima: Sufficit, si de u-

no,



no, vel altero veniali doleas, quam vis non doleas de alijs, siue hæc alia in confessione patefacias, siue taceas (tacere enim potes, quia nemo obligatur confiteri venialia juxta superius dicta) & ratio est, quia unum veniale potest remitti sine alio, & consequenter dispositio Pœnitentis ad remissionem unius sufficit sine dispositione ad remissionem alterius: nota tamen, quod quando hæc alia manifestas, de quibus non doles, sensus tuus (saltem implicitus) esse debet: ut ea, de quibus doles, absolutioni subdas, alia autem enatres, siue ob devotionem, siue ob alium finem, & sic semper præsumuntur fideles velle; nam iterum subdere absolutioni peccata, quam vis venialia sine ullo dolore, esset velle frustrari Sacramentum, quod ex communi opinione esset sacrilegium, dico (ex communi opinione) nam, quid alij quidam sentiant, inuam infra n. 48.

32. Secunda consideratio, si quis nova venialia confiteatur, & simul aliquod mortale, siue aliàs absolutum, siue nequaquam, doleat autem de mortali, non verò de dictis venialibus, sufficienter est dispositus pro hoc Sacramento, quia absolutio cadit supra mortale, eoque remissionem, quæ est independens à remissione venialium, cum quibus venialibus potest consistere gratia, & amicitia DEI, ut dictum sæpè est, non sic si confitens multa mortalia doleret de aliquo, & non de omnibus, non sic, inquam, quia remissiones mortalium non sunt divisibiles, & gratia DEI non potest consistere, vel cum unico mor-

tali; ideò enim necessario dolor esse de omnibus debet.

33. Tercia consideratio, si quis fateatur mortalia, & venialia, doleat autem solùm de venialibus, non est dispositus ad Sacramentum, unde nec reciperet validè absolutionem, & peccaret mortaliter; quia non remittit DEUS veniale in eo, in quo est peccatum mortale, atque adeò in eo, qui est ejusdem DEI inimicus: quare sic irritum redderetur Sacramentum.

34. Quarta consideratio, si quis fateatur solùm unum veniale unius speciei, unum v. g. mendacium, posset aliò quando benè esse dispositus, licèt non habeat dolorem, immò habeat complacentiam ad aliud mendacium ejusdem speciei: explicò, in peccatis venialibus individualibus ejusdem speciei potest esse unum gravius altero, ob quam majorem gravitatem pœnitens doleat de illo, quem dolorem non habeat de minus gravi; mendacium v. gr. sine damno ullo proximi est peccatum veniale minus grave, quàm mendacium cum levi damno ejusdem; sicuti etiam furtum unius oboli, præscindendo ab alio ulteriori damno, est veniale minus grave, quàm furtum decem obolorum, & sic in similibus. Potest igitur in dictis casibus pœnitens dolere de graviore, non verò de minus gravi, & sic bene erit dispositus; nam potest remitti culpa graviore venialis, remanente culpa venialis minus gravi, quod certè fieri nequit, quando sunt æqualis gravitatis. Relege *supr* n. 23.

35. Quinta consideratio, si quis afferat ad Confessionem dolorem suorum

venialium, qui cadat super frequentiam sic v. g. *Confiteor, &c. & doleo de multitudine, & frequentia meorum mendaciorum, vel de frequentia mei excessus in comedendo, propositum habeo, illam frequentiam vitandi*; si quis, inquam, sic asserat, sufficienter est dispositus; Ratio est, quia hoc jam est habere voluntatem diminuendi peccata venialia, quæ est sufficiens dispositio, ut notat de Lugo de *Pœnitent. disp. 14. num. 135.* lege etiam Pellizarium apud Dianam p. 11. tr. 5. ref. 23.

*Propositum in Confessione venialium.*

36. **I**Am verò quoad propositum dico etiam in Confessione venialium requiri propositum ea vitandi, sicuti requiri, diximus num. 30. eorundem dolorem; sed est advertendum, ad vitanda mortalia, debere esse propositum tale, ut includat voluntatem declinandi omnes occasiones mortaliter peccandi proximas; at verò de vitanda venialia id non requiri, quia declinare omnes occasiones peccandi venialiter, esset velle exire ab hoc mundo, in quo ejusmodi occasiones vitari non possunt.

Atque hinc fit, ut facilius absolvamus afferentes sæpissimè ad Confessionem eadem venialia, quia id non est signum, quòd pro iis caruerint debito dolore; sed quòd frequentissimæ fuerint labendi occasiones; quæ excusatio non est in mortalibus, ita Laym. *tract. de Pœnit. cap. 4. num. 19.* Coninch. *de Pœnit. disp. 2. n. 4.*

Præterea est advertendum, propositum mortalium debere esse de omnibus

iis vitandis; at de venialibus, satis est de aliquibus, modo tamen prædicto de eorundem dolore.

*Quarta dubitatio:*

*De dolore virtuali pro venialibus.*

37. **A**N sufficiat pro venialium confessione dolor virtualis?

Respondeo. Et quidem sciendum est, dolorem alium esse Formalem, alium Virtualem; Formalis est ipse actus doloris explicitè tactus; Virtualis est aliquis actus bonus, in quo sit inclusus, seu implicitus hujusmodi dolor; in materia v. g. de qua agimus, actus voluntatis, quo quis desiderat recipere Sacramentum Pœnitentiæ, ejusque gratiam Sacramentalem, si careat complacentia peccati venialis, quod confitetur, dicitur habere, & verè habet implicitè in se detestationem, seu dolorem illius venialis; hunc ergo dolorem virtua-lem appellamus.

38. Certum ergo est, pro Confessione mortalium aliàs non absolutè requiri formalem dolorem, ut supra dictum est; at probabile est pro venialium Confessione, sufficere prædictum dolorem virtualem; quare, qui suscipere intendit Sacramentum Pœnitentiæ, ejus que effectum, nempe augmentum gratiæ, si non habet complacentiam peccati venialis, cujus absolutionem petit, vel mortalis, aliàs ritè absoluti; erit ex hac probabili sententia sufficienter dispositus, ita Præpositus *disp. 2. de Contritione dub. 1. num. 73.* vocans hanc sententiam non improbabilem,

&

& citans Suarium de Pœnit. disp. 2. sect.

1. num. 9. additque eum, qui juxta illam operatur, non peccare, & fortè consequi effectum Sacramenti: ratio hujus sententiæ posset esse, quia sicuti extra Sacramentum minùs requiritur ad remissionem venialis, quàm ad remissionem mortalis; venialis enim culpa deletur per actum virtutis illi contrarium ex communissima opinione; culpa mendacij v. g. deletur per actum, quo quis vult veritatem; quod non est pro mortali, cui solùm sit remissio extra Sacramentum Pœnitentiæ per contritionem perfectam, ita in confessione venialium, hoc est, intra Sacramentum, videtur minùs requiri ad eorum remissionem, quàm in confessione mortalium, atque aded sufficere dictum dolorem virtualem.

Quando ergo Concilium Trid. sess. 14. cap. 3. requirit dolorem formalem pro hoc Sacramento, loquitur de Confessione mortalium, nondum ritè absolutorum; ait enim, id requiri ad consequendam reconciliationem cum DEO; at quando deinde *ibid.* cap. 4. dixit, ad hoc Sacramentum requiri motum pœnitentis, loquitur de Confessione in univertum; quod certè dictum verificatur, tum in confessione mortalium per dolorem formalem, qui est motus pœnitentis, tum in Confessione venialium per dolorem virtualem; qui est etiam Pœnitentis motus.

Doctrinam hæctenus traditam habet etiam Rolella. v. *Confessio* 2. §. 1. & Sylvester. v. *Confessio* 1. q. 11. & veram esse, me docuit P. Franciscus Chiros

nostræ Societatis Theologus, & in mortali Theologia valdè versatus.

Favent item prædictæ Doctrinæ Ledesma, Vega, Almanus, & Bernardus de Ganaco citati, quamvis non admittunt à de Lugo de Pœnit. disp. 14. num. 3. quatenus dicunt, dolorem esse quidem partem, sed integram, non essentialem Sacramenti, atque aded sine qua tota essentia Sacramenti consistat; quos tamen, licèt cum Communi sententia Theologorum apud eundem de Lugo rejiciamus, nihilominus eos prædictæ doctrinæ de dolore venialium virtuali favere, inñiciari non possumus.

Favet item Coninch. q. 62. art. 1. de Sacramentis num. 34. & 36. ubi putat, immemorem peccati mortalis accedentem cum actu spei ad Sacramentum justificari sine formali actu attritionis; quia, inquit, supernaturalis actus spei pœnitentiam peccati commissi virtualiter continere videtur.

Favet etiam Castropal. qui tr. 28. de Sacram. disp. unic. cap. 14. n. 7. hanc sententiam Coninch. vocat probabilem; quam secutos esse Scotum, & Cajetanum, affirmat.

39. Aliquod longè laxius Delgadillo in tract. de pœnitentia c. 12. bub. 5. n. 34. & dub. 8. n. 43 qui cum multis (quos vide apud ipsum, & apud Thom. Hurtadum p. 2. ref. moral. tract. ultimo tota resol. 10.) ait, dari confessionem validam, sed informem, sicuti ex communi opinione datur Baptismus validus, & informis: unde infert, quòd quemadmodum per Baptismum in adulto sine dolore de peccatis antea-

ctis suscepto habetur Baptismus validus, licet sine effectu gratiæ, qui habetur postea, quando sic Baptizatus ritè dolebit, ita in Confessione integra mortalium facta sine dolore juncta cum absolutione, habetur Sacramentum hoc validum, & informe, hoc est, sine effectu gratiæ, qui habebitur deinde, quando ritè dolebit Pœnitens.

Addit deinde idem Delgadillus *ibid.* e. 16. *dub.* 12. & *segg.* illud, quod facit nunc ad præsentem dubitationem nostram, nimirum in confessione venialium facta sine dolore juncta cum absolutione non solum haberi validum hoc Sacramentum, sed etiam formatum, hoc est, producens effectum gratiæ Sacramentalis, ejusdemque augmentum, quamvis non jam remissa culpa dictorum venialium; quia non est unde retardetur, cum possit stare gratia, ejusque augmentum cum culpa veniali non remissa; id quod non poterat, cum non remissa mortali; sed quia nobis etiam non vocat, hæc vel latius prosequendi, vel in utramlibet partem decidendi, legat, qui velit, apud citatos.

Illud est notandum prohiberi in Societate nostra in ordinatione pro studijs superioribus, ne nostri doceant publicè has duas propositiones in nostri Scholis: *Confessio venialium non eget ullo dolore ad remissionem; intelligo sine ullo dolore nec formali scilicet, nec virtuali, ne sic contra à me dicta à n. 27. Confessio facta sine ullo dolore valida est, etiam in mortalibus, quod certè est contra modo dicta n. 39, à Delgadillo,*

## CAPUT III.

De tempore, quo quis confiteri debet ex præcepto Divino.

1. ANTE omnia interest Pœnitentis observare tempus, quo Confessionem exhibere debet; id igitur breviter præmittamus.

Et quidem certum est ad Confessionem Sacramentalem, quoad substantiam nos obligari ex præcepto divino; nam tam grave præceptum, nec Ecclesia imposeret, nec fideles illud facile recepissent, nisi divino præcepto cogenerentur. Præterea si hoc præceptum esset dumtaxat Ecclesiasticum: Papa non obligaretur ad Confessionem. Ita Scot. *in 4. dist. 7. §. in ista quest.* Denique id jam à Tridentino definitum est, *sess. 14. c. 5. ibi, Universa Ecclesia semper intellexit institutam etiam esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam exhibere; institutam autem fuisse, quando Dominus dixit Apostolis Joann. 10. Accipite Spiritum sanctum; quorum remisistis peccata, remittantur eis; ferè determinat idem Concilium *ibid.* cap. 1.*

2. Certum secundò est teneri hoc divino præcepto omnes Baptizatos adultos habentes usum rationis, & cognoscentes peccatum mortale, quod fortè commiserint, seu quod idem est, cognoscentes justum, & in justum, bonum, & malum circa legem DEI. Non ergo attendenda est ætas tanta, vel tanta,

ta, sed rationis discretio; quare si Sotus ex hoc præcepto divino totum obligat habentes annum duodecimum; si S. Antoninus decimum cum dimidio; si Emanuel Sà, puberes, hoc est, masculos habentes quatuordecim, si inquam hi tunc solum obligant, non loquuntur sufficienter: quia lex divina omnes utentes ratione, quamvis minores prædictis ætatibus, comprehendit; an hi incurrant pœnas, ni obediant, mox dicemus, cum loquemur de præcepto Ecclesiastico cap. sequenti, ubi etiam aliqua explicabimus, quæ ad ætatem prædictam pertinent.

3. Dixi (*cognoscentes peccatum mortale*) cum enim peccatum veniale, ut supra vidimus, non sit materia necessaria confessionis, sed solum sufficientis, non tenetur quis ad ejus confessionem, quamvis illud confessioni subdere, consilium sit; nam propterea Apostoli non obligabantur ad Confessionem, quia ita fuerunt confirmati in gratia, ut præservati fuerint ab omni mortali; potuerunt tamen confiteri venialia; quia hæc committere poterant; & probabile sit, ea fuisse confessos; Beatissimam autem Virgitem, nec Confessionem fecisse, nec potuisse facere, certum est; quia ipsa præservata fuit tum à mortali, tum à quocunque veniali.

4. Certum est Tertio, fideles statim post commissum peccatum non teneri illud Confessionem subdere, quia tanta obligatio non est imponenda sine manifesto fundamento, ita Suar. cum aliis *disp. 3. sect. 3.* legitime igitur subdere suo tempore, de quo infra.

5. Certum, quarto sit, hoc præceptum non obligare solum in periculo mortis, cujus ratio notanda est, quia quando Ecclesia in *Concil. Lateranensi sub Innocentio III.* statuit *in o. omnis utriusque sexus*: Confessionem saltem semel in anno esse faciendam, legem novam hæc de re non condidit, sed divinum præceptum, quod fuerat à Christo Domino indeterminatè latum, declaravit, esse determinandum ad annuam Confessionem. Hæc est communis opinio, Præceptum ergo Confessionis (idem diximus de Communionem *lib. 2. de Sacr. cap. 5. § 2.*) quoad substantiam, divinum est, quò autem ad determinationem temporis brevioris, vel longioris, est Ecclesiasticum, originem habens à Divino. Atque hinc rectè colligit de Lugo *disp. 15 de Pœnit. num. 99.* si Ecclesia non determinasset ejusmodi tempus, hoc divinum præceptum non obligasset extra periculum mortis; quia ex quo Christus non determinavit, non erat præceptum jam perfectum, & obligatorium; quare, lecta Ecclesiæ declaratione, sufficienter adimpleset divinum præceptum de Confessione ille, qui solum in articulo mortis hoc Sacramentum suscepisset: id quod in simili alibi dictum à me est de susceptione Eucharistiæ, si pro illa non determinasset Ecclesia tempus Paschale.

6. Hi: operæ pretium est notare; aliquando per accidens, seu ratione alterius obligare hoc divinum præceptum; Est autem, quando quis sacram Eucharistiæ est suscepturus, si sit sibi peccati mortalis conscius, quamvis,

per-

matet in bibliot.

AMBEVRIN

in

Ecclesiæ præcepto

de

E III

3086

perfectionem contritionem se elicuisse, cognoscat; ita enim decrevit, seu declaravit *Trid. sess. 13. c. 7.*

7. Dixi (quando est quis Eucharistiam suscepturus) nam quando quis suscepturus est alia Sacramenta, ut etiam quando alia Sacramenta contacturus est, non tenetur præmittere confessionem, siquidem tunc, si mortali laborat, tenetur quidem, in gratiam Dei redire, sed non necessariò per confessionem, cum possit per contritionis actum. Unde quando S. Thom. *quodl. 1. art. 11.* (ut advertit Suarez *disp. 85. sect. 3. in fin.*) ait, ad susceptionem ordinis debere præmitti confessionem, sensus est, debere confessionem præmitti; non quidem præcisè propter susceptionem ordinis, pro qua satis est contritio, sed propter Eucharistiam, quam recipere consueverunt, qui ininitantur.

#### CAPUT IV.

*De Tempore, quo confiteri quis debet ex Præcepto Ecclesiastico.*

I. Sic habetur in dicto cap. *omnis utriusque sexus de Pœnitentia & Remiss.*

*Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, semel saltem in anno confiteatur, suscipiens reverenter, ad minus in Pascha Eucharistia Sacramentum: Alioquin, & vivens ab Ecclesia ingressu arceatur, & moriens Ecclesiastica careat sepultura.*

Porro singulas hujus Legis dispositiones, quæ pertinent ad Confessionem hac occasione, in qua de tempore ejusmodi obligationis agimus, commodum erit exponere.

*Omnis utriusque sexus fidelis.*

2. Merito fidelis, id est, baptizatus, quia Ecclesia non potest imponere Leges, nisi suis subditis, qui tales sunt in susceptione Baptismi.

3. Verùm si (omnis,) ergone etiam puella, puerique?

Respondeo. Etiam; si tamen, *juxta supradicta & præcedente n. 3.* ratione utantur: Est autem quoddam discrimen inter præceptum divinum, de quo ibi, & Ecclesiasticum, de quo hic agimus; nam si quis, Puer v. g. ante septennium utatur per accelerationem (ut non semel contingit) ratione, hic tenetur præcepto divino confessionis, quia lex divina fertur in omnes, qui sunt legis capaces, quales sunt omnes homines rationis compotes; at idem puer ex probabili sententia apud Joannem Sanchez *disp. 71. n. 31.* non tenetur præcepto Ecclesiastico, quia Ecclesia dirigit sua præcepta ad illos, qui ordinario modo sunt rationis participes; quales sunt, qui vel post septennium rationem acquirunt, non autem ad eos, qui per accidens, & extraordinariè ante septennium illa utuntur.

4. Sed quid, si de puero jam septenni dubitetur, an perfectum rationis usum fuerit consequutus? Id quod non rarò etiam contingere videmus.

5. Respondeo, hunc non obligari, puto, quia nondum dicitur absolute

tè ad annos discretionis pervenisse ille, qui quamvis septem habeat annos, tamen perfectæ rationis discretionem caret.

Illud tamen te moneo, ut si quando ejusmodi puer afferat peccatum, quod propter ejus imperfectum discursum sit mortale, moneo, inquam, ut eum absolvas sub conditione, modo superius insinuat *c. 1. n. 19.* Quòd si addat certum veniale, ad quod committendum, minor rationis usus requiritur, & de eo legitime doleat, tunc certè absolvi sine conditione absolutè poterit.

*Confiteatur.*

6. **C**onfiteatur sanè mortalia aliàs non absoluta; ergo si quis non gravatur toto anno, nisi venialibus, confiteri utique non tenetur ex vi hujus præcepti, quidquid tenuerint antiquiores nonnulli cum S. Bonaventura *dist. 11. n. 4. q. 1.* ratio est, quia hoc præceptum declarat, assignatque tempus præcepti Divini Christi Domini; sed Christus Dominus solùm præcipit confessionem mortalium; hoc enim præceptum dedit, ut peccator cum Deo reconciliaretur. Ita docent communiter Doctores apud Suar. *dist. 36. scđ. 2.* & de Lugo *dist. 15. n. 132.*

Dixi (ex vi hujus præcepti) nam si aliunde alia obligatio adesset, tunc etiam de venialibus deberet fieri Confessio; Et ita sæpe obligatur à Sede Apostolica, qui imperat dispensationem voti castitatis, vel impedimenti ad matrimonium; imponitur enim illi confessio annua, vel menstrua, quare si is mortalibus caret, debet venialia, vel

*Tambur. de Præcept. Eccles.*

aliàs absoluta mortalia confiteri, ut scilicet justam menstruam, vel annuam confessionem faciat. Escobar de Mendoza citans alios *lib. 43. Theol. Moral. c. 1. n. 7.* de Benedictinis, vel aliis Religiosis, quibus imponitur menstrua Confessio, vide eundem *ibid. c. 7. dub. 14. & dub. 15.*

7. Quares, obligantur ne fideles confiteri peccata mortalia etiam purè interna?

Respondeo, ita omninò; nam quamvis sit doctrina communis, quòd Ecclesia non judicat de merè internis; tamen hæc doctrina (cui non pauca sunt explicationes addendæ) locum hęc non habet; siquidem Ecclesia in hoc præcepto Confessionis obligat fideles ad faciendam illam Confessionem, quam præcipit Christus Dominus: quoniam ergo is præcepit, ut fieret Confessio omnium peccatorum, ut diximus ex Trident. *cap. 3. n. 1.* idè cum interna, sint etiam peccata, erunt etiam illa clavibus subdenda ex vi præcepti de integritate Confessionis, esto non ex vi præcepti Ecclesie, quæ solùm tempus determinavit.

8. Quid, si quis confiteatur sine dolore, vel non integrè, vel non accepta absolutione; observatne hoc præceptum confessionis annuæ?

Respondeo, Nequaquam, immò pœnas etiam incurrit impositas non consentibus semel in anno. Ratio est, quia præcipitur susceptio Sacramenti Pœnitentiæ; at qui prædictis modis confiteatur, Sacramentum Pœnitentiæ non suscipit; ergo &c.

K

9. Quid

9. Quid denique, si quis nequeat confiteri, nisi per interpretem, obligaturne ad Confessionem?

Respondeo, non obligari probabilis est sententia, quia nemo obligatur fieri sua peccata cum periculo divulgationis, quale est, quando adhibetur interpretis; excipit tamen merito Coninch, *disp. 9. de Pœnitent. n. 71.* periculum mortis, pro eo, qui mortalibus gravatur: tunc enim propria charitas obligat consulere suæ salutis omni meliori modo, quo quis, potest; quod certè potest tunc facere sine inconvenienti, (ait Coninch,) si per interpretem fateatur moribundus aliqua venialia, & mortalia in genere, dicendo; Confiteor talia peccata venialia, & omnia, quæ commisi.

10. Docet hic Verricelli *de Missionibus tit. 15, n. 8. & 9.* proximè morturum, qui probabiliter credit, se esse contritum, non teneri confessionem facere per interpretem, ne scilicet suam famam prodere cogatur, & citat Suarium, Layman, Dianam; teneri tamen si de sua contritione dubius est; sed profectò, Doctrinam Coninch, omninò amplectendam à nobis esse, puto.

11. Strictius loquitur de Lugo *disp. 15. de Pœnitent. n. 66.* putat enim, in periculo mortis obligari, nos ad integram confessionem per fidelem interpretem, ac prudentem, qui certè tenebitur ad secretum observandum, perinde, ac tenetur confessarius: id quod certè probabilissimum est, & consulendum in Praxi: sed non minus probabilis est doctrina modo à Co-

ninch. allata, quam pluribus firmat Diana *par. 11. tract. 7. ref. 1.*

12. Contra Laxius Delgadillo, qui *de Pœnit. c. 17. n. 225.* asserit, nunquam in dicto periculo teneri fideles ad confitendum per interpretem: immò addit, nec, si sic confiteretur, validam fore absolutionem. Ratio est, inquit, quia materia hujus Sacramenti est Confessio Secreta (id quod *ibid.* à n. 216. latè probare contendit, atque hoc ex doctrina Scoti) Christus enim (ut ipse ait) assumpsit ut Signum Sacramenti Pœnitentiæ, atque ut absolutionis fundamentum, confessionem secretam, non publicam; quòd dicit, se probare posse ex Trident. *sess. 14. c. 5.* affirmante, non esse divino præcepto mandatum, quòd confessio si publica; & *Can. 6.* sic asserente, qui dixerit, modum secretè confitendi soli Sacerdoti alienum esse ab institutione, & mandato Christi, anathema sit. His, & alijs adductis, sed certè minus rectè intellectis, in hunc modum concludit, ergo confessio facta per interpretem, cum careat debita materia, erit invalida. Deinde prosequitur refellere Suarium, Vasquez, Coninch, aliosque Thomistas communiter docentes, confessionem, etiam publicam, esse materiam aptam hujus Sacramenti; quos Doctores Thomistasque nos amplectimur; sententiam verò Delgadilli ipsi eidem digerendam relinquimus.

*Semel in anno.*

13. **Q**uatuor modis computari pro hac re nostra potest annus.

Pri-



Primò, à Januariò ad Januarium sequentem.

Secundò, à Paschate ad aliud Pascha, intelligendo nomine Pascharis quindecim illos dies, qui intercurrunt à Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis.

Tertiò, ab una Confessione ad aliam ita, ut inter unam, & aliam non intercedat plus quàm annus.

Quartò, à tuo peccato mortali ad tuam Confessionem ita, ut talis peccati Confessio non differatur plus quam ad annum.

14. Ex his prima computatio est omnium probabilissima, quam sequitur Valquez *q. 90. a. 2.* & Gaspar Hurtadus *disp. 7. diff. 10.* aliique, quia communiter, nomine anni intelligitur annus civilis.

Secunda, est etiam probabilis, quam sequitur Suarez, Layman, aliique apud Hurtadum, quia communiter sic etiam intelligitur annus, nempe annus Ecclesiasticus.

Tertia, quam docet Sotus *in 4. q. 18. a. 4.* & Quarta, quam habet P. Joseph de Augustino *in Brevi Notitia praecip. Eccles. n. 5.* Ideo nec mihi, nec Delgadillo *de Pœnit. c. 17. n. 63.* placet, quia sine sufficienti fundamento recurritur ad extraordinariam anni computationem; cum textus noster dicat, semel in anno, utique communi & ordinario, ac vulgariter cognito à fidelibus, ad quos dirigitur praeceptum.

15. Quoniam verò solum annum designat textus, non verò diem, vel anni determinatum tempus; sequitur, quocumque die dicti anni posse impleri

praeceptum hoc confessionis, perinde, ac quacumque die mensis v. g. potes jejunare, si tibi imponatur jejunium, semel in mense; quod certè non ita se habet in praecepto communionis; quia textus pro hac designat tempus Paschale, sumpto, ut diximus, pro quindecim diebus.

16. Oppones: ergo posset quis confiteri pro hoc anno initio ipsius, & & pro alio in fine alterius anni sequentis, & sic differre per duos annos Confessionem.

Respondeo. Ita profectò legitimè posset, sicuti Sacerdos posset recitare Canonicas suas Horas initio hujus diei, & differre Horas sequentis diei usque ad finem, hoc est, usque ad mediam noctem exclusivè diei sequentis, jam enim sic in uno quoque die suas horas persolveret.

17. Oppones iterum; Praxis fidelium est, ut non solum communicent, verum etiam confiteantur in Paschate; ergo etiam Pascha est tempus obligans ad Confessionem.

Respondeo, negando consequentiam: siquidem id faciunt fideles, quia ex occasione communionis confitentur, & sic opportunè servant utrumque praeceptum, nempe Communionis in Paschate, & Confessionis pro illo anno; unde si quis non indigeret Confessione in Paschate, quia nullius peccati mortalis sibi esset conscius: satis huic foret, si tunc solum communicaret.

18. Quare benè Hurtadus hic notat, Episcopum quemdam deceptum fuisse, cum excommunicavit eos, qui non confessi sunt in Paschate, quia

solùm Communio pro tunc præcipitur, nõ Confessio, & idè ejusmodi excommunicatio non fuit incurfa : fundabatur enim in falsa præsumptione, quòd illi non confessi fuerint intra annum, hoc est, vel ante Pascha, vel postea,

19. Illud autem colligitur ex computatione anni in nostra sententia, quòd si quis toto anno saepe confessus est peccata venialia, deinde ante finem anni (etiam in ultimo die) labatur in lethale peccatum, si in eo ultimo die non confiteatur, non observat præceptum annuæ confessionis; quia hoc præceptum, ut supra advertebamus, non est de confessione venialium, sed mortalium, quam certè mortalium hic non fecit; Quoniam verò in ultimo die jam habet mortale, illud in hoc die in nostra sententia confiteri debet, ne scilicet transeat annus sine observatione præcepti annuæ Confessionis, & ita notat Valquez *disp. 90. art. 3. dub. 1. Dixi* (in nostra sententia) nam in sententia P. Josephi de Augustino habet tempus sequentis anni, id quod tamen nos non admittimus.

20. Quid, si quis in anno non confitetur, obligatur ne anno sequenti etiam pro obligatione anni præteriti, ita ut unam Confessionem debeat facere pro dicto anno præterito, aliam pro præteriti? Et quando per tres annos v.g. non est confessus, debet ne ter confiteri pro dictis tribus præteritis annis, & item semel pro præteriti, &c.?

21. Respondeo, Ita putat Coninch *de Pœnit. disp. 5. n. 61.* & de Augustino *loc. cit. n. 4.* Ratio est, aiunt, quia hoc præceptum est primariò de confes-

sione, & secundariò de tempore: sicut ergo si voyllet, vel Confessarius tibi imposuisset unum jejunium, si illud non exhibes in hac hebdomada, vel in hoc mense, debes in alio: ita si tu in anno hoc confessus non es, obligaberis in alio; id certè probabile est; verum non minus probabile judico cum Valentia *Tom. 4. d. 7. q. 8. p. 4.* non obligari, quia satis probabiliter dici potest, hoc præceptum esse additum uni anno; sicut enim Sacerdos v. g. si non recitat intra viginti quatuor horas hujus diei officium divinum non obligatur illud compensare die sequenti; nec qui Missam negligit die Dominico, obligatur audire die Lunæ, ita in casu nostro, &c.

22. Inquires hic denique, Primò, an quis teneatur prævenire confessionem, quando prudenter timet tuorum peccatorum oblivionem? Secundò, an quis teneatur confiteri initio anni, quando rationabiliter timet carentiam Confessarij, si confessionem differat usque ad anni finem?

23. Respondeo ad primum non teneri, quia Concilium Tridentinum solùm nos obligat ad confitendum peccata; quorum, quando confitemur, memoriam habemus, facto tunc diligenti examine juxta superius dicta.

Respondeo ad secundum, omninò teneri, sicuti, qui die festo prævidet, unam dumtaxat Missam manè diluculo celebrandam, tenetur illi tunc interesse, si à legitimo impedimento non excusetur. Ita Hurtadus, Fagundez, Layman, alijque cum Diana *part. 3. tract. 4. resol. 69.* & meritò, quia toto

atque

atque adeò etiam initio anni præceptum urget.

24. Illud minus approbo, quod docet idem Hurtadus *disp. 5. dist. 13.* affirmat enim, eum, qui prudenter timet, se non habiturum copiam Confessarij anno sequenti, teneri vi præcepti annuæ confessionis confiteri ante annum illum; non approbo, inquam, quia nemo tenetur servare præceptum, antequam præceptum illud actu urgeat; neque enim teneor die Sabbati audire Missam, si prævideam Missam non futuram die Dominico.

Nota tamen discrimen inter præceptum Ecclesiasticum confessionis, & inter præceptum divinum ejusdem; nam ex vi præcepti divini obligatur quis ad non moriendum in peccato mortali, quod præceptum semper adest, viget que semper post utrumque rationis, & post mortale commissum; quare si quis prævidet, se non habiturum copiam Confessarij in fine vitæ, tenetur antea confiteri ex vi prædicti præcepti divini, quod semper, ut dictum est, urget. At hoc anno non adest, neque urget præceptum Ecclesiasticum pro anno sequenti.

*Alioqui ab ingressu Ecclesiæ,  
& vivus arceatur, & mortuus  
Ecclesiastica careat sepultura.*

25. **Q**ui semel in anno non confitetur, duas incurrit pœnas; alteram, ne, dum vivit, possit ingredi in Ecclesiam, alteram, ut mortuus Ecclesiastico Ritu, atque adeò in Ecclesia, vel Cæmeterio non sepeliatur; hæc au-

tem pœnæ non incuruntur ante sententiam declaratoriam Judicis, & consequenter requiritur, ut culpa probeatur in judicio; id quod rectè observat Coninch. *disp. 3. dub. 9.*

26. Notandum autem hîc est primò, in aliquibus Diœcesibus adeste fulminatam contra non confitentes in anno (ut etiam contra non communicantes in Paschate) excommunicationem latam sententiæ, quæ si adest, statim incurritur, nulla expectata Judicis sententiæ; Ratio est, quia excommunicatio, & cætera censuræ latæ sententiæ secum ferunt executionem, & statim, commisso delicto, delinquentem efficiunt. At non ita in excommunicatione ferenda, & alijs ferendis censuris (quas etiam appellamus comminatorias) atque in alijs quibuscumque pœnis, quæ censuræ non sunt; hæc enim requirunt dictam Judicis sententiam, saltem declarantem, fuisse commissum delictum, cui adnexæ sunt prædictæ pœnæ, ut distinctiùs agitur in tract. de censuris, & interim videri potest Sanchez *lib. 9. matr. disp. 30. & Suar. de censuris d. 3. sect. 3.*

27. Notandum est secundò, in Synodo nostræ Panormitanæ Diœcesis, quæ est anni 1653. c. 4. de Euch. n. 11. contra non communicantes in Paschate indici excommunicationem ferendam his verbis; *Qui dicto tempore Paschatis non communicaverint, si admoniti non respiciant, pœnam excommunicationis incurrent;* At verò contra non confitentes, semel in anno, nihil ampliùs additur præter pœnam latam in 6. cit. *omnis utriusque sexus;* unde diffi-

difficile mihi apparet, quòd dicit Escobar in *Theolog. moral. lib. 43. cap. 3. num. 16.* excommunicationem ipso facto omittentibus Confessionem annuam ferè in omnibus Diocesisibus esse impositam.

## CAPUT V.

De ijs, quæ pertinent ad Pœnitentem in ipsa Confessione.

*Qualis debet esse Confessio?*

1. Qualitates, & conditiones sive ex congruentia, sive ex necessitate à Confessione Sacramentali requisitæ, fuerunt unitim ab antiquioribus his versibus collectæ.

*Sit Simplex, Humilis, Confessio Pura, Fidelis,*

*Atque, Frequens, Nuda, & Discreta, Libens, Verecunda.*

*Integra, Secreta, & Lacrymabilis, accelerata;*

*Fortis, & accusans, & se parere parata.*

2. Singulas has qualitates, si nos suis necessarijs considerationibus illustrabimus, certe totam ferè de Confessione tractationem comprehendemus.

## CAPUT VI.

*Simplex.*

1. Hæc conditio significat, Pœnitentem debere sua peccata con-

fessori patefacere, clarè, distinctè, & ablatis circumstantijs ad confessionem non pertinentibus (in quo mulierculæ errare per sæpè solent;) item non sunt verba æquivoca usurpanda, quia ab hoc sacro tribunali ipsa pura veritas requiritur, quæ prolixis, & multò magis æquivocis narrationibus obscuratur.

2. Sed notandum est, hanc conditionem requiri ex congruentia, modò veritas peccatorum manifestetur; ita ut si advertenter cum ea æquivocatione, quæ pariat in mente confessorij non debitam notitiam peccatorum, deficeret Confessio in necessarijs, graviter peccaretur juxta infra distinctiùs afferenda.

## CAPUT VII.

*Humilis.*

1. Debet Confessio fieri ex congruentia flexis genibus, aperto capite, debitaque corporis compositione, nisi aliud infirmitas, vel causa rationalis persuadeat, idque est esse humilem confessionem.

2. Sed inquirens, Quid si sine necessitate ulla sedens, vel stans, vel etiam jacens confessionem exhibeam?

3. Respondeo. Fore id peccatum veniale, putat Bonacina *disp. 5. q. 5. sect. 2. p. 1. §. 2. num. 24.* sed nec esse veniale, (præciso contemptu, & scandalo) probabile puto; quia hoc non est, nisi defectus majoris devotionis.

4. Ad humilitatem hanc reducitur illud, ne fiat confessio cum jactantia pecc-

peccatorum; hæc enim esset novum peccatum, & quidem mortale, si sit ja-  
ctantia peccati mortalis, atque adeo sa-  
cilega esset ejusmodi Confessio: si  
verò sit gloriatio peccati venialis, tunc  
esset peccatum veniale, atque ex hoc  
capite non esset sacrilega confessio,  
quando alia materia cum debito dolo-  
re afferretur; nam sacrilega esset, si il-  
lud solum peccatum cum dicta materia  
confitereris; quia venialis peccati  
commissio revocat dolorem peccati e-  
jusdem generis, juxta ea, quæ aliquan-  
to superius declarata sunt.

5. Huc etiam reducitur modesta  
humilitas in vestibus, & ornamentis,  
quam sine fastu jactantia præferre  
debet penitens; sed quia de his, deq;  
portatione armorum, an ea decreant  
accedentem ad Eucharistiæ sumptio-  
nem, dicemus in tractatu de Commu-  
nitione cap. 10. num. 12. Eademque,  
vel saltem valde similis ratio est in su-  
scceptione Sacramenti Pœnitentiæ locum  
illum recolare satis, superque sit.

6. Huc denique reduci potest, ne  
(saltem in peccatis turpibus) complex  
confiteatur complici, tunc enim non  
humilis erit confessio, sed audax, &  
absque modesta erubescencia; dico au-  
tem complicem complici; hoc est, pœ-  
nitentem non debere confiteri socio  
sui peccati: ita Pontius lib. 4. matr. c.  
38. n. 3. dicens, ejusmodi turpium con-  
fessionem factam complici esse regula-  
riter illicitam, & consequenter invali-  
dam: dicit (regulariter) nam excipit  
necessitatem in periculo mortis, vel  
gravis infamiæ; quando alius Con-  
fessarius præstò esse non potest; quam-

vis etiam Doctores communiter doce-  
ant, eam validam fore, si absit pericu-  
lum novæ complacentiæ, adfitque de-  
bitus dolor, ut loquuntur S. Thomas,  
Sylvester, Scotus, S. Bonaventura cum  
Diana p. 5. tr. 11. resp. 120. aliique; ni-  
hilominus (quidquid dicat Joan. San-  
chez d. 11. num. 1.) hi Doctores in-  
telligendi sunt; pro ut expressè plures  
ex his loquuntur, quando certum est,  
nullum subesse periculum, vel in casu  
prædictæ necessitatis; Regulariter ta-  
men adest probabile periculum novæ  
complacentiæ ejusdem peccati, vel ex  
parte fœminæ, vel ex Sacerdotis parte:  
adest quoque periculum diutius perle-  
verandi in eodem cæno; & item, ut  
Confessio nulla sit ex defectu doloris:  
quare meritò in Mediolanensi Ecclesia,  
ut habet Bonacina de Pœnitentiâ q. 7.  
p. 5. §. 5. n. 10. sub pœna excommuni-  
cationis latæ sententiæ prohibetur, ne  
quis complicis confessionem excipiat:  
de hoc argumento lege Paragraphum  
positum in fine hujus tractatus de Con-  
fessione.

7. Illum tamen, qui bona fide con-  
fessus est apud complicem, tunc non  
obligarem, Confessionem repetere,  
quando diligenter examinatus inveni-  
retur, verum dolorem, firmumque  
propositum habuisse, & integrè fuisse  
confessum; atque bona item fide non  
judicasse, se cooperatum fuisse cum  
Confessario in peccatum fortè labente  
ex refricatione peccati cum ejus socie-  
tate peracti.

8. Denique hic omittenda non est  
propositio damnata ab Alexandro VII.  
quæ est hujusmodi;

*Modus evadendi obligationem denuntianda sollicitationis est,*

*Si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest illum absolvere absque onere denuntiandi.*

Hæc, inquam, propositio tanquam scandalosa damnatur, & ita prohibetur simul cum alijs quibusdam, ut ille, qui eam docuerit, vel defenderit, vel de ea disputaverit, nisi ipsam impugnando, incidat in excommunicationem latæ sententiæ Summo Pontifici reservatam, & item prohibetur sub mortali, ne quis eam in praxim deducat.

## CAPUT VIII.

*PURUS.*

1. **P**ura tunc est Confessio, quando fit propter purum finem placendi Deo, & propter remissionem suorum peccatorum; qui ergo propter alium finem confitetur, semperne, & quo peccato peccat?

2. Respondeo, & dico primò, certum esse, peccare mortaliter, qui confitetur propter finem mortaliter peccaminosum v. gr. ad finem pertrahendi Confessarium ad mortale, vel ad finem consequendi opinionem bonam, ut sic facilius grave quid furari v. gr. possit, vel ut possit adytum habere ad turpiter v. gr. peccandum, &c. Ratio est manifesta, quia sic committitur mortale in ipsa confessione, quod opponitur gratiæ sanctificanti, quæ deberet à Sacramento conferri.

3. Dico secundò, peccari venialiter, si finis sit peccatum veniale, &

Confessio sit legitima, & dolore debito non carens, juxta superius dicta; tunc enim pœnitens haberet pro fine primario, & per se intentionem placendi Deo, & per accidens adjungeretur peccatum veniale: ut si quis v. gr.posito, quòd legitime confiteatur, admittat tamen secundariam intentionem placendi hominibus, suo parenti, suo Magistro, &c. seu etiam secundariam intentionem vanæ gloriæ; quòd si totus finis, atque adeò primarius sit peccatum veniale v. gr. inanis Gloria, unde non curaret quis, seu negligeret, aut explicite, sive implicite finem placendi DEO, sanè peccaret mortaliter ex defectu recti finis.

4. Hinc collige nequaquam mortaliter peccare eum, qui, ut bonam opinionem apud Confessarium virum, gravem sibi notum conservet, confitetur apud illum peccata levia, sed antea à gravibus per alium Confessarium absolutus ritè fuerat, ut notat Bonacina *loc. cit. n. 11. s. cum alijs.* Ratio est, quia ejusmodi finis non est mortalis, & ex alia parte est ex secundaria intentione, & item cum debito dolore, alijsque requisitis exhibitas prædictas confessiones fuisse, supponimus. Sylvester allatus à Diana *3. p. tract. 4. resol. 132.* ait, hunc nihilominus peccare venialiter, quia id saltem sapit aliquam hypocrisis, & mendacium; sed sentendum est cum dicto Diana, neque sic (si aliud non addatur) peccare venialiter, quia conservare suum bonum nomen, non est hypocrisis, & cum Pœnitens nihil falsum loquatur, quamvis factu suo permittat, Confessarium de-

de-ripi, non dicit tamen ipse menda-  
cium: sic certè permittit Christus Do-  
minus, quòd deciperentur duo ejus di-  
scipuli in Emaus, quando finxit, se  
longius ire velle, nec tamen menda-  
cium dixit; confirmatur ex Villalo-  
bos, tom. 1. tract. 1. num. 9. dist. 35.  
ubi affirmat, sapè propter aliquam ra-  
tionabilem causam esse conveniens, va-  
riare confessarium. Quare sentire vi-  
detur, id non rarò etiam esse expediens;  
nimirum pro majore conscientia quie-  
te, propriaque animæ rationabili con-  
solatione.

## CAPUT IX.

## Fidelis.

1. Tunc fidelis est confessio, quan-  
do exhibetur sine dolo, & fal-  
lacia, hoc est, sine deceptione, quæ  
fiat confessario; planius dica, fiat  
DEO.

2. Hinc primò, graviter peccabis,  
si omittas aliquod peccatum, aliàs non  
ritè absolutum; si varies numerum,  
peccatorum mortalium, dicendo mi-  
norem numerum pro majore, immò  
etiam majorem pro minore; qui error  
Rusticorum, & mulierularum esse  
solet; si confitearis peccata certa, ut  
dubia, vel contra; Pœnitens enim,  
ut fidelitatem DEO servet, debet de-  
clarare peccata eo modo, quo sunt in  
sua conscientia.

3. At verò, qui omittit manifesta-  
re in confessione aliquod peccatum ve-  
niale, vel mortale jam ritè absolutum,  
ne venialiter quidem peccat; quia e-  
Tambur. de Præcept. Eccles.

justi modi peccata, ut supra vidimus, sunt  
materia, sufficiens quidem, sed non  
necessaria.

Qui autem mentitur in confessione  
in re ad confessionem non pertinente,  
ut si dicat, se vocari Petrum, cum vo-  
cetur Paulus, peccat quidem venialiter,  
sed non mortaliter, si juxta nuper dicta  
cap. 2. observet illa, quæ pro legitima  
confessione sunt necessaria; quia hac  
in re mentiri non esset, nisi leviter, con-  
tra prædictam fidelitatem, si aliud non  
superaddatur, de quo mox à num. 8.  
lege Bonacinam loc. c. n. 2. & de Lugo  
diss. 16. sect. 2.

4. Idem puto, id est, esse solùm  
peccatum veniale, si quis dicat, se vel-  
le facere confessionem generalem om-  
nium peccatorum, & deinde taceat ali-  
quod peccatum mortale, aliàs ritè abso-  
lutum; cum enim non sit de necessi-  
tate talis confessionis, omnia peccata  
jam absoluta manifestare; solùm erit  
mendacium levè, quia dicit, se velle  
omnia jam absoluta confiteri, & dein-  
de aliqua tacet.

Quòd si Pœnitens solùm confessario  
dicat, se velle confessionem generalem  
peragere, nec addat illud (omnium  
peccatorum) puto, hunc ne venialiter  
quidem peccare, quia adhuc confessio  
generalis nominari verè potest illa, quæ  
aliqua omittit ex ritè absolutis; qua-  
re sic pœnitens in nihilo mentitur;  
præterea communis omnium sensus  
est, etiam Confessarijs notus, quòd in  
confessione generali, non omnia,  
alias ritè confessa,  
aperiuntur.

*Peccatum fuisse, vel non fuisse confessum.*

5. **P**redicta facilis solutionis fuerunt, superflua autem nonnulla admodum controversa.

Controvertitur enim primò. An pertineat ad fidelitatem confessionis, explicare, peccatum fuisse confessum, vel non confessum? Exemplum solet afferri de illo, qui generaliter confitetur, & sine alia explicatione de industria nova peccata cum antiquis immiscet, ad tegendum, quòd ejusmodi peccatum noviter sit commissum.

6. Respondeo, satis esse probabile, id ex se sine peccato fieri, quia peccatum semper est idem, sive hodie, sive heri commissum sit; circumstantia temporis non pertinet ad naturam ipsius peccati, sed se tenet ex parte penitentis.

7. Aliqua tamen cautiones sunt adhibendæ. Primò, ne sit reservatum hoc novum peccatum; & tu ad Confessarium non potentem illud absolvere accedas; tunc enim non valeret hujusmodi absolutio ob defectum jurisdictionis, unde confessio esset Sacrilega.

Secundò: quando penitens est in occasio ne proxima peccandi, tunc debet explicari tempus præsens, ut nimirum Confessarius jubeat, occasionem amoveri, hac tamen cautione non indigebis, si tu ipse verè, & sine fraude, occasionem tollas.

Nonnulli addunt cautionem tertiam, ut scilicet obligetur quis, tempus sui peccati patefacere, quando is est, in consuetudine peccandi; sed certè pro-

babile est, tunc non adesse ex se necessitatem explicandi, peccatum fuisse, vel non fuisse confessum, quia, ut notat Suarez. Vaquez, aliique apud Dianam 1. p. tract. de circumstantiis, resol. 15. & 57. peccata præterita non addunt præteriti peccato circumstantiam novam multò minùs specie diversam.

8. Notanter híc, & num. 6. dixi (ex se) nam si interrogetur à Confessario, debet penitens fateri, illud esse peccatum recens, tum in hoc casu consuetudinis, tum in aliis quibuscunque casibus, in quibus à prudenti Confessario interrogetur. Ita cum aliis de Lugo loco mox citando; Ratio est, quia, quando tu non interrogatus illa non explicas, non mentiris, sed solùm permittis, Confessarium sibi persuadere, illud peccatum esse antiquum, & non esse ex consuetudine; at quando interrogatus, negas, committis positivè mendacium, quod grave peccatum est in casu, quo Confessarius id interrogat; quia Confessarius habet jus cognoscendi totam conscientiam penitentis, ut suum judicium legitimè, & prudenter valeat proferre: nam cæterum si ab hoc jure Confessarij abstrahamus, & legitima sit confessio, ut supra explicavimus, in releyi ad confessionem non pertinente mentiri, non esset, nisi veniale.

*Peccatum in individuo.*

9. **I**oannes de Lugo a. 14. de Penit. sect. 10. addit aliam rationem, ad probandum, te interrogatum obligari graviter, verum dicere in re pertinente ad confessionem, quia, dum positivè hoc peccatum, v. g. homicidium,

dictis  
cum  
mada  
quod  
id, q  
est pe  
tum h  
græ  
10  
posse  
de P  
Con  
fitea  
lum  
amfi  
quia  
non  
enim  
ne si  
folia  
tens  
hoc  
tis e  
min  
trus  
bit  
fuer  
tis e  
nen  
C  
imp  
dix  
des  
Dio  
res  
hoc  
ver  
pre  
ad  
tite



dixit, te commississe anno superiore, cum tamen commiseris in hac hebdomada, non fatereris tuum peccatum, quod in individuo commisisti, sed aliud, quod non commisisti: aliud enim est peccatum hodiernum, aliud peccatum hesternum, atque adeo non integre confitereris.

10. Hæc ratio Joannis de Lugo posset impugnari ex doctrina Arriagæ de Pœnit. disp. 34. sect. 3. ubi probat, Confessionem esse validam, si quis confiteatur, se occidisse Petrum, cum Paulum ejusdem conditionis occiderit, etiamsi id faciat consulto, & mala fide; quia id solum esset mentiri leviter in re non pertinente ad confessionem, nihil enim ad confessionem pertinet potius ne sit occisus Petrus, quam Paulus; sed solum ad illam pertinet, quod Pœnitens explicet actionem suam injustam, hoc est, actionem occisionis, quæ satis explicatur, sive actio occidendi terminata fuerit ad Paulum, sive ad Petrum; simili igitur modo non pertinebit ad confessionem scire, an peccatum fuerit aliàs remissum, nec ne, quia satis erit, quod pœnitens explicet actionem, qua peccavit.

Certè hæc Arriagæ Doctrina non est improbabilis, quando bona fide quis dixit, se occidisse Petrum, cum occiderit Paulum; id quod docet etiam Dicastillus apud Dianam p. 11. tract. 8. resol. 60. & cætera requisita ad confessionem legitime putat se habere; at verò quando Pœnitens interrogatur à prudenti confessario, id nullo modo admittere possum; quia tunc regulatè, & in praxi debet præsumi, noti-

tiam individui, vel confessionis factæ aut non factæ requiri à Confessario ad statum Pœnitentis cognoscendum; & merito nolit stare iudicio ipsius pœnitentis in determinanda restitutione hac, vel illa & in alijs remedijs prudenter adhibendis; semper excipio, nisi manifestè appareat aliud, circa quod sit interrogatio, ad confessionem non pertinere; ut esset v. g. si Confessarius interrogaret, quomodo Pœnitens vocetur, vel cujus esset civitatis, quod certè imprudenter fieret.

*Peccatum dubium.*

11. **S**ecundum, quod controvertitur hic, est, an si quis dubius sit de suo peccato mortali, nondum confesso; debeat ex necessitate fidelitatis illud confessioni subijcere, sive dubium sit, an peccatum commiserit? sive quamvis sit certus, se illud commississe, dubius sit, an confessioni subdiderit?

12. Respondeo, & prius recolendum est; dubium, aliud esse negativum, aliud positivum; si enim intellectus est omninò anceps, nullamque rationem, saltem probabilem habeat, ex cuius vi inclinet ad aliquam partem, dicitur dubium, & quidem negativum; quale est illud, an grana arenæ maris sint paria, an imparia; si verò intellectus rationem aliquam alicujus momenti habeat, per quam assentiatur alicui parti, dicitur probabilitas, & ab aliquibus appellatur (sed certè improprie) dubium positivum; si verò adsint rationes alicujus ponderis pro utraque parte, utraque dicitur probabilis; semper intellige ad probabilitatem

constituendam, quòd pars opposita non sit saltem moraliter certa: denique si ex una parte appareant rationes alicujus momenti, pro alia autem parte nulla, vel satis modica adsit ratio, cujus scilicet vis non pertingat ad inclinandum intellectum, dicetur illa prior pars moraliter evidens.


Non jam respondeo ad hanc secundam controversiam (quoad dubium negativum) nam de probabilitate separatim dicam à n. 17. Respondeo, inquam, duobus dictis.

13. Dico primò; Eum, qui est timoratus, & scrupulosus, non obligari ad constenda peccata dubia; Ratio est, quia in dubio debet præsumi, prædictum non peccasse mortaliter; quare etiam si in eo dubio alij essent obligati, ipse tamen erit ab hoc onere liberandus, ita Sà, Suarez, Granadus, alijque relati à Joann. Sanchez, *disp. 41. n. 18.* & à Castrop. *tom. 1. disp. 4. p. 2. n. 4.*

14. Dico Secundò: Communis opinio fert, excepto prædicto scrupuloso, debere omninò pœnitentem subjicere confessioni peccata negativè dubia: Ratio præcipua est illa, quam affert de Lugo de *Pœnit. disp. 16. sect. 2.* quia talis est usus, & praxis communis totius Ecclesiæ, cujus praxis cum initium non agnoscat, affirmari potest, illam Christum Dominum instituisse. Quare si dubius es, an peccatum mortale, v. g. homicidium commiseris, vel certus, quòd commiseris, & negativè dubius, an illud confessus fueris, debes in hac sententia illud confiteri.

15. Adest tamen alia opinio maxime Recentiorum negans ejusmodi necessitatem, nisi in fine vitæ, idque in eo dumtaxat casu, quo quis post confessionem, vel contritionem incidit in peccatum mortale, modo dicto, dubium; tunc enim debet confiteri, vel actum contritionis elicere, ne scilicet è vita decedat cum illo peccato dubio, quod fortasse fuit verè, & coram DEO certò commissum, & nec directè, nec indirectè remissum.

16. Hujus opinionis rationes, quæ excludunt prædictam necessitatem, variaz afferuntur, sed illæ sunt præcipuz. Primò, quia in casu dubij melior est possessio in favorem pœnitentis. Secundò, quia non debet quis ob culpam dubiam, certò condemnari, obligarique ad tantum onus, quantum est, se ipsum acculare, & pro dubia culpa certam pœnitentiam subire. Tertio, quia ratio Judicij temporalis, ad cujus normam institutum est Sacramentum Pœnitentiæ, nunquam polcit, ut quis pro delicto incerto pœna certa condemnetur; quæ rationes, & aliæ adductæ à Ferrantino de *scandalo disp. 1. quest. 77. num. 30.* probant, nec eum obligati ad confessionem, qui scit se actionem fecisse, sed negativè dubitat de ejus qualitate, an scilicet fuerit venialis, an mortalis? Lege Caramuel, in *Theologiæ fundamentali tertiæ editionis à num. MCCCLXXXIII.* late eam defendentem, & alios apud dictum Ferrantinum citatos.



*Peccatum probabiliter commissum, vel probabiliter confessum.*

17. Tertio controversitur de peccato probabiliter commissum, vel probabiliter confessum, de quo accipe sequentes doctrinas, varios casus breviter complectentes.

Prima doctrina. Qui habet probabiles rationes, quod peccatum mortale non commiserit, & probabiles, quod commiserit, non teneri, illud confiteri; Ratio est, quia qui operatur secundum rationes probabiles, prudenter operatur, atque adeo non peccat; semper autem tum hic, tum in sequentibus est excipiendus finis vitæ, quando per confessionem, vel contritionem debet ejuſmodi peccatum, si forte coram DEO certo commissum fuerit, expiari modo, quem in simili diximus n. 15. semper item advertendum est, quod iudicium remanet probabile; potest enim aliquando contingere, ut rationes in contrarium adeo sint probabiliores, ut iudicium non remaneat probabile, sed potius remaneat improbabile, sicuti parva stellula remanet invisibilis, præſente sole.

18. Doctrina secunda. Qui probabiliter scit, se mortaliter peccasse, habet tamen rationes probabiles, quod illud peccatum rite confessus fuerit, nõ tenetur illud confiteri, quamvis habet rationes probabiles, immo probabiliores, quod confessus non fuerit; Ratio est eadem, ac præcedens; quia nimirum prudenter agit, qui probabilitati, quod jam confessus fuerit, se conformat,

19. Doctrina tertia. Qui probabiles rationes habet, quod non peccaverit, vel quamvis probabiliter sciat, se peccasse; tamen habet probabilitatem; se esse confessum, si nullam habet rationem credendi contrarium, non tenetur; quia hoc multo magis probat prædicta ratio, cum tunc videatur adesse certitudo moralis pro Pœnitente.

20. Doctrina quarta. Qui habet rationes probabiles, quod peccaverit, sed nullam rationem probabilem habet iudicandi, se esse confessum, tenetur ad confessionem; quia tunc constat de præcepto confitendi, sed non constat de confessione, atque adeo tunc adest certitudo moralis contra Pœnitentem.

21. Doctrina quinta. Qui certo scit se peccasse, sed est dubius, an illud peccatum fuerit confessus, obligatur regulariter confiteri; Ratio est eadem, immo major contra Pœnitentem.

Dico (regulariter) nam duas exceptiones affert Præpositus *quæst. 5. de integritate confessionis num. 15.* apud Ferrantinum loco supra citato. Primo enim ait, timoratum scrupulosum non obligari confiteri in casu hujus quintæ doctrinæ; quia hic saltem regulariter præsumitur errare in suis dubijs, atque adeo præsumitur jam fuisse confessum: Secundo neque obligari in hoc eodem casu, si diuturnum tempus intercessit intra suam confessionem bona fide factam, moralique examine præcedente, & intra dubitationem, quæ nunc insurgit; Ratio est, quia impossibile moraliter est post diuturnum

patet in bibliis

AMBRIN  
in  
de  
VARRI  
de  
E II  
306

num tempus positivè recordari omnium, quæ quis confessus est; remanet igitur, quod solum non scrupulosus tenetur in hoc dicto casu illud peccatum confiteri; & quidem tunc, quando parvum tempus intercessit, quia tunc non habet is executionem, nec ductam à distantia temporis, nec ductam à conditione scrupulorum.

*Peccatum confessum, ut dubium.*

22. Quartum, quod hic controversatur, est de peccato confessio, ut dubio, quando deinde absoluta confessione, advertit pœnitens, illud esse certum; an scilicet obligetur illud confessum, ut dubium, iterum afferre ad confessionem, ut certum. Quid, si contra, confessum illud sit, ut certum, & deinde, re benè perpensa, cognoscit, esse dubium?

23. Quò ad prius potest esse controversia, vel de substantia peccati, vel de numero: dixit v. gr. Pœnitens, se sub dubio consensisse turpi cogitationi, sed deinde invenit, certum fuisse confessum: Ecce controversiam de substantia peccati. Vel dixit, se certò quidem consensisse, sed de dubio, an id fuerit ter vel quater, an quinquies, &c. deinde invenit certò fuisse, vel plus, vel minus, ecce controversiam de numero.

24. Porro loquendo de substantia, probabile jam esse, non teneri ad novam Confessionem, docent Viri docti apud de Lugo d. 16. de pœnitent. à num. 81. ita Ferrantinus loco cit. quæst. 17. alios citans. Ita novissimè Antonius

Perez in opusculo posthumo de pœnit. disp. 5. cap. 1. num. 7. verùm contradocent probabilius Sanchez, Turrianus, Diana ab eodem de Lugo ibidem citati, afferentes utrinque rationes.

25. Jam verò, loquendo de numero, dico: quando non est magnus excessus, non obligari pœnitentem iterum ad Confessarium accedere, juxta praxim Fidelium, qui sic confiteri consueverunt, quando nesciunt suorum peccatorum numerum; *Pejeravi circiter ter, vel quater, pejeravi decies, plus, minus*, nec tamen repetunt confessionem bona fide sic expositam. At verò quando est magnus excessus, debet omninò (si ille excessus advertatur) ad novam confessionem afferri, si v. g. quis dixit: *pejeravi ter, vel quater*, cùm pejeraverit decies. Ratio est, quia Confessarius absolvit eum numerum, qui humano, & morali modo verificatur in tua Confessione; At non verificatur, quando est magnus excessus.

26. Si vis edoceri, ad quem numerum se extendat illud, (*circiter*) vel illud (*plus minus*.) Dico, id iudicio prudentum demum esse statuendum: sed tamen regula illa dari solet, ut quo minor est numerus peccatorum, quæ, quis confessus est, eò pauciores numerum completatur illud (*circiter*) vel (*plus, minus*) quò major, majorem; exemplo clarior fiet regula; si v. g. dicas: *Pejeravi circiter decies, vel decies plus, minus* verificabitur, si pejerasti duodecies, vel octies; at si dicas, *Pejeravi circiter centies, vel pejeravi centies plus, minus* verificabitur, si non solum pejerasti centum, & duabus vicibus, sed eti-

am

am verum, si pejerasti centum, & quinque vicibus; ut etiam, si pejerasti nonaginta quinque vicibus; ratio autem hujus regulae est, quia hic est sensus moralis, & humano modo intelligi confectus, ut notat Fagundez l. 5. de praesep. confessionis cap. 5. num. 9. Diana p. 21. tract. 6. Res 17.

Illud semper adverte, nos loqui, quando bona fide sic confiteris, quia nescis determinatum numerum; nam ceterum, si illum scias, illum determinatum dicere obligaris, ut nuper num. 2. dictum est.

27. Quoad posterius, An scilicet obligetur quis iterum confiteri peccatum, quod ut certum confessus est, sed deinde invenit fuisse dubium, vel quod sub numero determinato, & certo falsus est, invenit deinde, re perpensa, numerum illum dubium esse, cum semper, ut dictum est, bona fide processerit.

28. Respondeo duobus dictis: Dico primo, qui bona fide confessus est peccatum, ut certum, quod deinde comperit, esse dubium, non obligatur, illud iterum confiteri; Ratio est, quia, qui recipit absolutam sententiam de delicto certo, satis intelligitur, accepisse de dubio: ita de Lugo loc. cit. n. 77.

29. Dico secundo: qui bona fide confessus est numerum peccatorum, ut certum, se pejerasse v. g. decies, & deinde dubitat, imò etiam scit certo, se pejerasse minus, v. g. octies, pari modo non obligatur ad iterandam confessionem: ratio est; quia in numero majori satis absolviitur numerus minor, & multò minùs obligabitur, si inveniat,

se nunquam pejerasse; sic enim non habet peccatum perjurii, quod absolvi possit, & idem dicendum est in eventu numeri praecedentis, de Lugo *ibidem*. Ex eo, quod modò dixi, in numero majori includi minorem; mentem meam subit sequens dubitatio; Titius bona fide confessus est, se furatum esse materiam gravem quater; peracta jam confessione advertit, se ter cum effectu furatum esse, jam in quarto furto habuit quidem animum furandi, sed impeditus à custodibus nihil reipso furatus est: is ergo nunc à me quaerit, an sibi redeundum sit ad Confessarium, ut absolvatur ab hac voluntate furandi?

Respondeo, mihi videri, id opus non esse, quia in confessione jam facta, dum Confessarius absolvit à quarto furto, absolvit etiam à voluntate furandi; nam qui furatur, vult furari; quare qui fatetur, se furatum esse, fatetur etiam, se voluisse furari; si igitur absoluta jam fuit hæc peccaminosa voluntas inclusa in furto, necessaria nova absolutio non erit; supponimus autem nec discontinuatam fuisse voluntatem furandi, juxta communem doctrinam de retractatione actuum, &c. sic mihi videtur respondendum, quod tamen Doctorum judicio submitto.

*Ant taceri sine infidelitate  
aliquid mortale in confessione  
possit?*

30. **Q**uintò controvertitur, an id aliquando liceat; atq; aded liceat aliquando dimidiare Confessionem?

nem? De mortali sermo est, nam de veniali diximus in superioribus *an. 3.*

31. Respondeo, in tribus eventibus licere: primò, quando adest impotentia physica; ut si quis loqui non valeat, sive ex vicina morte, sive ex proximo naufragio; ut si quis sit mutus, ut si quis ignoret linguam Confessarii, nec adsit alius Confessarius, immò nec interpret (de quo casu interpretis, dictum est supra *cap. 4. num. 11.*) In his enim casibus dicatur, quantum potest, & absolvarur: de morituro alienato à sensibus diximus *cap. 1. num. 25.*

32. Secundò, tacetur licitè mortale, si adsit impotentia moralis: hæc autem est quoties aliquis prudenter ex Confessione alicujus peccati timet sibi, vel alteri notabile damnum; nam cæterum ex confessione illorum, unde hujusmodi damnum non timetur, nunquam taceri mortale polse, nimis est manifestum: casus autem tacendi ex hoc capite impotentia moralis solent à Doctoribus sequentes afferri: Primò, quando Pœnitens rationabiliter timet à confessario revelationem sui peccati: Secundo, quando puella v. g. timet rationabiliter à Confessario, quem solum potest habere, se esse sollicitandam, vel se in peccatum esse lapsuram. Tertio, quando quis est nimis scrupulosus, tunc enim præstat, aliqua potius omitti, quàm confessionem reddi nimis onerosam, & Pœnitentem subire grave sanitatis, vel desperationis periculum: Lege id distinctius apud Suarium de Pœnitent. disp. 23. sect. 2. Castropalaum T. 1. disp. 4. p. 2. n. 47. Pellizzarium de Atonialib. cap. 10. à num. 204. Quar-

to, quando confessarius timet incidi gravi morbo contagioso, si omnia audiatur, nec potest à longè audire. De casu, in quo complex esset manifestandus, dicam mox *c. 12.*

33. Sunt autem quinque diligenter pro dictis adnotanda: Primo illud peccatum, quod ob excusationem aliquam ex prædictis tacuisti, debes omnino, ubi excusatio cessat, confessario aperire, ut de illo ritè absolvaris, & directè: idque, vel ante Sacram Communionem, vel in confessione ex præcepto: Secundo, cum dicimus, periculum gravis mali te excusare, intelligendum est de damno extrinseco confessioni, nam te nequaquam excusat damnum tuæ famæ apud confessarium, vel magnâ etubescencia in tuo peccato confitendo, quia hæc sunt intrinseca confessioni quibus non obstantibus, Christus Dominus Pœnitentiæ Sacramentum instituit. Tertio, si commodè potest differri confessio differatur, non enim licet confessionem dimidiare; si, ut integrè fiat, potest ea in tempus competens differri: Quarto, quando habes casus reservados, non potes solum absolvi à reservatis per Superiorem potentem eos absolvere, & cætera mortalia tacere, dicturus illa inferiori confessario: nec potes confiteri non reservata huic inferiori, & reservata remittere ad Superiorem; Ratio est quia sine necessitate dimidiaretur confessio, tunc ergo vel omnia manifestes Confessori Superiori, & per illum ab omnibus absolvaris, vel oblineas ab illo potestatem, ut inferior possit ea reservata absolvere, & per

per hunc ab omnibus integrè absol-  
vatis.

Quintò, displicentia, seu dolor pro confessione, in qua aliquorum peccatorum, propter prædictas excusationes, manifestatio non fit, debet non solum esse de peccatis, quæ manifestantur, verùm etiam de illo, vel de illis, quæ tacentur; debet enim dolor cadere, ut supra diximus, super omnia mortalia.

34. Tertio, tacetur in confessione peccatum sine peccato ob ignorantiam, vel errorem; quando enim quis propter oblivionem inculpatam, vel inculpatum errorem tacet aliquid mortale, sanè propter illam bonam fidem, non peccat, & directè absolvitur à ritè manifestatis, sed indirectè ab alijs: supponimus autem motivum doloris fuisse, ut modò dictum est, univertale. Tacita tamen, quando menti occurrunt, debent omninò confessario manifestari, & ab illis directè absolvi, ut etiam modò dictum est.


*Remedium pro eo, qui tacuit  
peccatum cum peccato.*

35. **I**nquires hæc occasione, si quis ab hinc multo tempore aliqua mortalia mala fide tacuit in confessione; vel in re gravi, juxta superius dicta, mentitus est; interim verò multas confessiones peregit, temperne in illis confessionibus sacrilegè peccavit? Quod si semper peccavit, quid nunc remedium?

36. Respondeo cum necessaria distinctione: nam si anno superiore, & g. tacuisti peccatum, vel graviter in  
*Tambur. de Præcept. Eccles.*

confessione mentitus es, sanè mortaliter, & sacrilegè peccasti, unde primò, hoc peccatum, & simul etiam omnia peccata, quæ in illa confessione aperuisti, debes confiteri, quia non fuerunt ritè absoluta: Secundò, confiteri etiam debes mortalia, quæ commisisti toto illo anno; illa enim nunquam fuerunt remissa, obstante nimirum sacrilegio, cum quo confitebaris. Tertio, confiteri etiam debes numerum confessionum, quas toto illo anno cum dicto sacrilegio, seu sub dicto sacrilegio exhibuisti. Quarto, numerum etiam communionum debes confiteri, quas sacrilegè, toto illo tempore, suscepisti: Ratio horum perspicua est, quia semper peccabas, dum memor illius primæ confessionis perperam factæ, Sacramenta Confessionis, & Communionis temerè suscipiebas.

37. Si verò in dictis consequentibus Confessionibus oblitus fuisti illius primi sacrilegij, & ad dictas consequentes confessiones cum debito dolore legitime accessisti; non est necesse, repetere dictas consequentes; quia illæ bona fide factæ sunt, unde & validæ fuerunt. Satis igitur in eo eventu erit, repetere illam primam Confessionem, & illa sacrilegia, & peccata, quæ cum dicta recordatione confessus es, nam cæteræ propter inculpatam oblivionem, si in alio non defecere, validæ fuerunt, & licitæ.



M

CA

patet in bi...

TAMBRIN  
in  
Ecclesia Præcepto  
de  
VARRE  
de  
E II  
306

## CAPUT X.

*Frequens.*

1. **D**E consilio quidem est confessio-  
nis frequentia præter illam,  
quæ fieri semel debet in anno, & in fine  
vitæ: quoniam hæc frequentia maximè  
est in causa, ut sæpe quis peccata venia-  
lia, vel mortalia aliàs remissa, confi-  
teatur in genere; ideo hæc de re pro-  
prius est hic agendi locus.

*Confessio peccati in genere.*

2. **P**eccato mortali carens variis mo-  
dis peccata in genere confiteri  
potest, qui ad sequentes reducuntur.

Primò sic: *Fateor mea mortalia olim  
commissa, & ritè absoluta, seu ritè con-  
fessa.*

Secundò: *Fateor mea venialia com-  
missa olim, & ritè absoluta.*

Tertiò: *Fateor mea venialia pecca-  
ta.*

Quartò: *Fateor mea olim commissa,  
& absoluta peccata contra castitatem,  
ver. grat.*

Quintò: *Fateor mea peccata, aliàs  
ritè confessa, seu absoluta.*

Sextò: *Fateor mea venialia, men-  
dacia v. gr.*

Septimò: *Fateor mea peccata venia-  
lia commissa post ultimam confessionem.*

3. Inquirimus ergo: an in dicto  
casti, quo quis mortalibus caret; om-  
nes hi modi validam faciant, & licitam  
confessionem?

Et quidem dico primò, quod validam  
faciant in necessitate, certum esse, quia  
in proximè morituris, quando quis ex-

pressius loqui non valet, illam praxim  
Ecclesie tutissimè admittit.

Ergo dico secundò: si tunc valida  
est, ut certè est, fore etiam validam  
semper in prædicto eventu, quo quis  
recentia mortalia non habet. Ratio  
est, quia in Sacramento illa materia,  
quæ semel validè affertur, semper, &  
in quocunque casu, valida est, & suffi-  
ciens; nam, nulla necessitas facere po-  
test materiam, illud, quod materia non  
erat: ut, quia vinum y. g. est materia  
consecrationis; aqua Baptismi, propter  
nullam necessitatem suppleri potest ab  
alia materia, ut expressè docent omnes  
Theologi, quorum aliqui videri possunt  
apud Dianam d. 3. tract. 4. resol. 66.  
Si ergo peccata in genere sine explica-  
tione speciei, & numeri non essent ma-  
teria sufficiens Sacramenti Pœnitentiæ,  
nulla necessitas dicta in proximè mori-  
turo sufficientem materiam facere pos-  
set illa peccata in genere, sed suffi-  
ciens est in eventu necessitatis ex praxi  
Ecclesie, ut diximus; ergo & in om-  
nibus quibuscunque eventibus.

4. Dico tertiò, valde probabile esse  
& tutum, prædictam confessionem  
licitam esse; modò semper suppona-  
tur, adesse dolorem, sive actualem, si-  
ve virtualem non retractatum, & alia  
requisita, juxta superius dicta.

Probatur hæc Doctrina primò ex S.  
Thoma, qui in 4. dist. 16. & 17. q. 1. &  
q. 4. videtur, hanc sententiam appro-  
bare, dum sic ait: Religiosi, quibus  
imponitur de præcepto menstrua cōfel-  
sio, si carent mortalibus, non teneri in  
particulari confiteri venialia, sed tan-  
tùm in communi, &c. ita D. Thomas,  
licet



licet dictum hoc non placeat Escobar  
lib. 13. *Theol. Mor. c. 6. disp. 18.*

Secundò, quia quando materia Sa-  
cramenti est quoad validitatem suffici-  
ens, licet etiam semper illa uti possi-  
mus, si aliquod præceptum, vel aliquod  
inconveniens non obstat; at nihil ob-  
stat in casu nostro; ergo, &c.

5. Non enim obstat præceptum  
ullum, quia illud afferri non potest;  
nec ullum obstat inconveniens, quia  
cum peccata venialia, vel mortalia rem-  
issa voluntarie subdantur Confessio-  
ni, non est inconveniens, illa separa-  
tim, & in individuo non confiteri.

6. Dices, obstat Concil. Trident.  
sess. 14. cap. 3. & Can. 7. ubi dicitur,  
Peccatorem teneri ad declarandum in  
Confessione omnia, & singula peccata,  
tum quoad species, tum quoad nu-  
merum, tum quoad circumstantias sal-  
tem speciem mutantem.

Respondeo primò: Si hic textus  
aliquid contra probabilitatem hujus  
sententiæ probaret, probaret etiam id  
in necessitate, quando quis, magis se  
explicare non valet.

Respondeo secundò: Concilium  
ideo ibidem addit omnia, & singula  
mortalia etiam cogitationes in confes-  
sione manifestari debere; quia ea red-  
dunt homines filios iræ: subsumo;  
sed nostra, de quibus agimus peccata,  
non reddunt homines filios iræ; ergo  
de his Tridentinum non loquitur. Ad-  
de hanc Tridentini dispositionem limi-  
tari ab omnibus, ut non cadat in pec-  
cata venialia, quia, hæc, ut nimis sæ-  
pè dictum est, confiteri non tenemur;  
Simili ergo modo nos eandem disposi-

tionem limitare possumus, quòd non  
loquatur de peccatis confessis in gene-  
re, quando mortalia præsentia non  
adsunt.

7. Dices iterum, esse inconveni-  
ens, quòd Sacerdos, qui debet ferre  
judicium, & sententiam, nesciat pec-  
cata, nisi in genere, & non hæc, &  
illa determinata, unde & nesciat pec-  
nitentis statum.

Respondeo, inconveniens adesse  
certè, si locutio sit de mortalibus, non-  
dum absolutis; sed de venialibus, vel  
mortalibus remissis aliàs, & confessis,  
nullum est inconveniens; quia secus  
etiam in necessitate id requiretetur.  
Satis igitur est, si Sacerdos sciat, pec-  
nitentem peccasse, veniam nunc pete-  
re: statum autem ejusdem sufficienter  
cognoscit, dum ex confessione dumtaxat  
venialium, & mortalium remissio-  
rum, videt, ipsum non esse filium Iræ,  
& inimicum DEI.

8. Hanc sententiã late defendit  
Delgado de Pœnit. cap. 14. dub. 6. &  
iterum cap. 17. dub. 44. eam etiam tenet  
in aliquo modo ex prædictis (sed cer-  
tè eadem est ratio de omnibus) Dica-  
stillus de Pœnitent. cap. 14. dub. 9. num.  
751. Leander tom. 1. tractat. 5. d. 3.  
quæst. 35. & Diana p. 11. tract. 5. resol.  
24. & res. 53. sed idem Diana ibidem  
tract. 7. res. 35. in fin. videtur esse sibi  
contrarius, nam in aliquo ex prædictis  
modis negat, & favet item prædictæ sen-  
tentiæ Sylvester v. Confessio quæst. 13.  
Favet Gobat in Clypeo Clementiorum Ju-  
dicum n. 229. Favet Alensis ab eodem  
Gobat, & a Sylvestro ibidem citatus, esto  
negat Calpensius apud Dian. dict. res. 35.  
M. 2.

9. Nota,

notat in bibliot.

AMBVRIN  
in  
ECCLESIA PRÆCEPTO  
DE  
E III  
30/6

9. Nota, Suarium de Pœnitent. disp. 23. sect. 1. num. 10. dicere prædictam sententiam esse probabilem (speculativè, sed non practicè; ad quod dictum respondet Dicastillus loc. citat. in hunc ferè modum; si hæc sententia est (inquit) speculativè probabilis, erit etiam practicè, quia tunc, quod est probabile speculativè, deduci non potest in praxim, quando aliquid novi consideratur adesse in praxi, quod illud improbable reddit; id quod nullo modo adest in casu prædictæ sententiæ, ut modo nos diximus à n. 6 & latè probat idem Dicastillus *ibidem*.

10. Quæres, si quis ita constiteatur, *Fateor peccata mea*, nihil aliud addens, legitime extra necessitatem confitebitur?

Respondeo, legitime, quantum est ex capite Sacramenti Pœnitentiæ; ut probat argumentum ductum à tempore necessitatis, in quo aliud pœnitens addere non valet; at ex alio capite peccabit graviter confessarius, si hunc statim absolvat: quia per hæc sola verba tam universaliter dicta non intelligit, hunc sic confitentem carere mortalibus, nisi aliquid ampliùs addatur, ut fuit modò in casu dicto n. 7. in fine.

11. Quæres iterum: Qui carens mortalibus, sic, vel simili modo confitetur, *Fateor aliqua mea peccata venialia*, vel *fateor aliqua mea peccata mortalia, aliàs confessa, & ritè remissa*, rectè confitetur?

12. Respondeo. Ad hanc quaestionculam, his verbis in simili respondet Delgadillo loc. cit. cap. 17. n. 91. non approbo (ait) modum confite-

di aliquorum, qui fortè ex inadvertentiâ dicunt: me accuso de duobus, aut tribus mendacijs v. g. vitæ præteritæ; isti enim non præbent materiam determinatam (supposito, quod commiserint plura mendacia) quia Disjunctiva illa habet vim relinquendi indeterminatam unam, & aliam partem illius propositionis: sicuti neque consecraret, qui habens coram se multas hostiolas; veller consecrare duas, vel tres ex illis, si illas non determinaret. Hæc ille. Quoniam verò eadem est ratio de confitente aliqua venialia, vel aliqua jam remissa mortalia, sic enim non datur materia determinata pro absolutione, idè nec ejusmodi confessionem approbaret Delgadillo.

13. Verum huic discursui responderi sic posset. In Sacramento Pœnitentiæ, jam dixit modò idem Author, validè confiteri quempiam, dicendo in genere, se peccasse venialiter. Hæc igitur Doctrina admittitur; dico, esse materiam determinatam in casu, de quo loquitur; quia in Sacramento Pœnitentiæ pro non habente mortalia, satis determinata est materia ipsius peccatum in genere; Disjunctiva ergo illa licèt relinquat indeterminatum, quodnam mendacium v. g. absolvendum sit, determinatum tamen est peccatum in genere; qui enim duo vel tria peccata venialia fatetur, jam dicit, se habere peccata; non ita in consecratione dictatum hostiarum; nam in consecratione Evcharistiæ non consecratur hostia in comuni, sed hæc: quare mirum non est, quòd nulla consecratur, si hæc non determinetur.

## CAPUT XI.

*Nuda.*

1. **S**i sensus hujus qualitatis sit, quòd Pœnitens debeat in confessione totam suam conscientiam aperire, ac manifestare omnes suas pravas propensiones, omnesque negligentias in via Domini; & similia; Consilium id erit ab omnibus certè cum laude observandum, ut scilicet Confessarius tuus non solum sit Judex tuorum peccatorum, verum etiam Pater spiritualis per omnes partes promovens ad meliora.

2. Si verò sensus sit, quòd Pœnitens debeat aperire (quando juxta prædicta exculationem non habet) omnia sua mortalia, eorumque species, ac numerum cum circumstantiis illis, quæ speciem mutant, est de necessitate, ut loco citato declaravit Tridentinum, & nos suo loco mox latè differemus.

3. Nuda item debet esse confessio, quia carere debet verbis, & narrationibus inutilibus, & ad peccatorum explicationem minus pertinentibus. Is cerè muliercularum communis esse solet error, ut supra etiam indicavimus.

## CAPUT XII.

*Discreta.*

1. **D**iscretionis virtus, quæ est pars subjeçtiva prudentiæ, discernit inter multa id, quod eligendum potius est; Pœnitens ergo dum expli-

cat sua peccata, debet discernere peccata sua ab alienis, ne dum se accusat, alios sive directè, sive indirectè accusare inveniatur: sed ecce celebris difficultas, an aliquando pœnitens debeat, vel saltem licitè possit ad sui peccati speciem aperiendam, aperire sui locij peccatum, & sui peccati objectum?

2. Duobus exemplis clariùs evadet punctum difficultatis: Primum, Titius v. gr. peccavit cum Matre sua, Confessarius autem probè novit Titium non habere aliam contanguineam, nisi matrem; debet ne Titius dicere in sua confessione, se incestum commississe? si enim sic dicat, manifestat peccatum suæ Matris, quæ fuit peccati socia, seu complex.

Secundum Exemplum, Filius dat venenum Matri gravidæ ex adulterio, debetne ejusmodi filius manifestare confessario adulterium matris, ut explicet suum peccatum homicidij, fœtus fortasse animati, & peccatum matricidij? Vides? In priori exemplo mater est locia peccati filij; in posteriore autem est objectum peccati ejusdem filij; non socia.

3. Respondeo, & dico primò, tum in priori, tum in posteriore exemplo: quando filius commode habere, vel expectare potest confessarium, qui non novit matrem, peccat contra famam matris cum obligatione restitutionis famæ, si illius peccatum confessario manifestet; Ratio est, quia tunc sine ulla necessitate matrem infamat: Expectare autem Confessarium, qui matrem non noscat, certe non diù debet, satis

est per unum, vel alterum diem; secus magnum incommodum esset, si per plures dies remanere deberet inimicus DEI. *Lege de Lugo disp. 16. de Pœn. sect. 7. n. 416.*

4. Dico secundò, si haberi non potest Confessarius, matrem non cognoscens, est probabile, posse licite Pœnitentem ad sui peccati necessariam speciem explicandam propalare Confessario prædictam societatem, vel prædictum adulterium maris, sed est etiam probabile, licite non posse.

5. Ratio, quòd licite possit, illam ego potiorè judico; quia Christus Dominus instituit hoc pœnitentiæ Sacramentum cum obligatione manifestandi sua peccata Confessario, non obstante, quòd Pœnitens, se ipsum infamet apud Confessarium; ergo multò magis illud instituit cum obligatione manifestandi alienum peccatum, quando hæc manifestatio est necessaria ad explicandam peccati speciem: probatur hæc consequentia, quia strictius est Jus, quod ego habeo ad meam famam tuendam, quàm ad tuendam alterius: ut patet; quia licite possum propalare crimen verum proximi, quando id necessarium est ad defendendam meam famam; quare fama alterius cedit famæ meæ: Si ergo, non obstante mea fama, confiteri integre mea delicta cum suis speciebus debeo; multò magis debebo in casu de quo loquimur; non obstante fama alterius; Adde complicem videri cessisse juri suæ famæ in ordine ad tuam Confessionem, quando ipse tecum peccavit, quia sciebat, te Christianum esse, & ad Confessionem

accessurum, nec posse perfecte confiteri, nisi manifestando peccatum suum, & tamen tecum peccare consentit.

6. Hanc eandem sententiam cum ejus ratione extendunt nonnulli, ita ut censeant, solum propter solidam consolationem, quam quis sentit ab amico, vel docto suo Confessario, posse pœnitentem non expectare, nec querere alium, qui suum complicem non cognoscat, id quòd satis sit innuisse; nam legi poterit Reginaldus *lib. 24. n. 75.* alios referens, & Tannerus *22. disp. 448. dub. 7. num. 138.* testans, Doctrinam hanc esse probabilem.

7. Jam verò ratio, quòd manifestari prædictum peccatum cum alterius famæ denigratione non possit, est, quia non debet infamari proximus, etiam ad propriam famam tuendam, nisi quando in necessitate alio modo tueri nequeat, unde in hoc solo necessitatis casu, solum potest reus publicare testimonium vera delicta, ut omnes Theologi docent: At in nostro casu possum alio modo reconciliari Deo abique matris v. g. prædicta infamia, ergo &c. Minor probatur, quia in illo eventu, in quo expectare non possum Confessarium non cognoscentem matrem meam, possum confiteri cum legitimo, & universali dolore illud diminutè, dicendo, v. g. *fermentationem commissi, gravidam occidij*: Nam sic absolutionem obtinebo indirectè de incestu, & de matricidio, homicidioque, quo pacto faciam confessionem integram formaliter, licet non materialiter, cum obligatione tamen confitendi explicitè hæc indire-

cte

dē absoluta, quando nanciscar Confessarium, matrem meam nequaquam cognoscentem, lege Suarez de Pœnitent. disp. 34. sect. 2. Vasquez de Pœnitent. q. 91. Coninch. de Pœnitent. disp. 7. dub. 9. aliòsque apud ipsos.

8. Hæc ratio commoda est, reddique sententiam hanc secundam sanè probabilem, non tamen dejicit primam à sua probabilitate. Nam hujusmodi remedium esset per se contra perfectam integritatem confessionis, atque adeò quamvis in aliquo casu possim uti hoc extraordinario remedio; non tamen videor posse ad id cogi, ita ut non valeam primam sententiam sequi.

9. Quæres, si non possum confiteri debitam speciem mei peccati venialis, sine complicis gravi infamia, possumne licitè in prima sententia cum infamia proximi dictam meam speciem peccati venialis declarare? Ego v. g. peccavi venialiter, resistendo cum levi negligentia mea sorori, me sollicitanti, possumne licitè dicere Confessario: Adhibui levem negligentiam sollicitationi meæ sororis?

10. Respondeo non posse, quia peccata venialia non obligamur confiteri; quare, si non apparet aliqua alia peculiaris, gravisque ratio magni boni Pœnitentis, vel aliqua causa petendi grave consilium, non poterit à tali Pœnitente eligi Confessarius, dictam sortorem cognoscens, quia tunc non appareret ulla necessitas aperiendi peccatum alienum. Ita Joann. de Lugo loc. cit. num. 411. sed lege Verricelli tract. 8. res. quest. 19. qui videtur adverteri dictæ Doctrinæ Joannis de Lugo;

Lege tamen Dianam p. 11. tract. 4. res. 41. eam defendentem.

11. Denique hic adverto, Antonium Perez in opusculo posthumo tract. 3. disp. 5. num. 45. approbare quidem Doctrinam à nob. num. 4. dictam pro primo exemplo, hoc est, pro casu complicis, sed non pro exemplo secundo, hoc est, pro casu objecti peccati: in hoc enim nunquam, ait, manifestari posse in prædicta confessione ejusmodi objectum: quamvis enim in prior v. g. casu, mater sit nocens cum filio, in posteriore tamen mater non est nocens respectu filij, unde non est digna, quæ infametur à filio, verum nos dicimus in illa probabili sententia num. 4. allata, in utroque casu militare universalem eam rationem, quod Christus Dominus instituit hoc Sacramentum, non obstante fama alterius, quando lecus explicare quoad speciem peccatum suum, non potest pœnitens: & in utroque casu, & semper debere probabiliter favori integritati confessionis potiùs, quàm cuicumque famæ alterius, si utrumque nempe integritas confessionis, & alterius fama in dicto casu salvari non possunt.

## CAPUT XIII.

### Libens, verecunda.

1. **N**on sufficit, quòd adultus recipiens Sacramentum Pœnitentiæ, quomòdocunque non resistat, sed etiam opus est, ut libens positivè consentiat, seu voluntatem habeat, illud

recipiendi : id quod commune est receptioni cujuscunq; Sacramenti, quàm faciat adultus ; nam secus etiam dormiens validè reciperet Sacramentum ; tunc enim non resistit , ut latè disputatur in tractatu de Sacramentis.

2. Si quis tamen trahatur ad confessionem timore Magistri, vel Domini, vel timore excommunicationis, vel infamiz, & valida erit confessio, & licita ; si tamen ritè omnia mortalia, cum debito dolore confiteatur, siquidem tunc jam adest voluntas suscipiendi Sacramentum, & remissionem suorum peccatorum, qui est principalis finis confessionis.

3. Quoad qualitatem verecundiæ, solum est admoendus, tum pœnitens, tum Confessarius in uno ; Pœnitens, ne peccata aperiat cum audacia, sed cum erubescencia, & verecundia, qualis eum decet, qui eum se esse, profitetur apud tribunal Dei. Confessarius, ne tantam verecundiam excitet in pœnitente verbis asperis, & dictis, ut illum deterreat cum periculo, se subtrahendi à confessione.

Quòd si aliqua opus sit reprehensione, illam differat ad confessionis finem, eandemque peragat, prout recta ratio, & benigna prudentia dictaverit.

## CAPUT XIV.

### *Integralis.*

1. **M**ultum necessaria est hujus qualitatis notitia, & est explicatu difficilis multum.

Supponendum autem est, duplicem esse integritatem confessionis ; materialem alteram, alteram formalem ; materialis est, quando ea fit de omnibus peccatis, prout in re commissa fuerunt : formalis est, vel quando pœnitens aperit quidem omnia peccata, quæ memoriæ, post diligens examen, ipsi occurrunt, & tamen aliqua per inculpatam oblivionem omittit ; vel quando, licèt illorum recordetur, habet tamen ( ut in casibus nuper positis *cap. 8. à num. 35.* explicatum est ) prudentem excusationem illa tacendi.

2. Porro certum est apud omnes, materialem integritatem non esse necessariam ad consentientiam Sacramenti pœnitentiæ : Patet in moribundo, qui, quando loqui non valet, validè absolvitur, si aliqua peccata fateatur, cetera verò in dicta confessione taceat ; certum item est, integritatem formalem esse omnino necessariam ; debet enim absolvendus omnia peccata à se commissa confiteri, quæ potest, ex Concilio Tridentino toties citato. Spectant autem ex dicto Tridentino *sess. 14. cap. 5. & Can. 7.* ad hanc integritatem tria, Primò, ut manifestetur species peccatorum ; Secundò, numerus eorundem, Tertiò, circumstantiæ mutantes peccati species. Jam de singulis.

### *Species peccati aperiende.*

3. **S**pecies diversæ peccatorum, vel possunt physicè sumi, vel moraliter ; physicè accipiuntur, cum consideratur ipsa entitas naturalis actionis peccaminosæ : divinare futura v.g. per ignem, differt physicè à divinatione, per

per aquam, vel per avium volatus: occisio hominis gladio, differt physicè ab occisione per venenum; ejusmodi enim actiones habent entitatem physicè diversam: moraliter autem accipiuntur, cum consideratur specialis malitia ex variis adjunctis, quæ talem actionem afficiunt, quam malitiam recta ratio diversam judicat; furtum rei sacræ v. gr. differt à furto communi: non quidem physicè, quia utraq; actio furtiva est, sed differt moraliter, quia propter illud additamentum rei sacræ judicatur à recta ratione multum differre in malitia illud ab hoc: Pari modo esus carniū idem physicè est, sive illæ comedantur die vetito v. g. die veneris, sive die non vetito v. g. in die Dominico: & tamen longe differunt moraliter; siquidem ille propter conjunctionem præcepti Ecclesiastici mortalem malitiam habet, hic ne venialem quidem.

4. Dicimus ergo, ad integritatem confessionis non pertinere diversitatem speciei physicæ peccatorum, sed moralem: unde quòd tu divinaveris per ignem, vel per aquam, non est necesse, quòd expleres in confessione; quia hæc est diversitas physicæ dumtaxat: at obligaris aperire, te furtum esse rem sacræ, v. g. Calicem; quia hæc est diversa species in esse morali, & in ratione malitiæ, ut etiam esus carniū in die veneris.

*Unde cognoscatur species moraliter diversa.*

**H**OC probo, quòd semper difficile fuit cognoscere; & capere diffi-

*Tambur. de Præcept. Eccles.*

cultatis est, quia non sufficit ad id bene cognoscendum, Regula, quæ communiter afferri solet, quamque nos n. 7. mox afferamus, nisi addatur studium, & multorum Authorum accurata lectio.

6. Præmittendum ergo est, aliquando humanis actionibus addi alias circumstantias, quæ dictas actiones non in alia physica specie, sed in alia specie morali constituunt, ut dictum est de furto, cui si addatur circumstantia rei sacræ, præter malitiam furti communis, ponetur in alia specie morali, hoc est, in specie sacrilegij. Sic etiam si fornicat à te cognita addatur, illam essetiam contangineam, præter malitiam fornicationis habebit talis actio moralem speciem incestus; aliquando autem dictæ circumstantiæ, quæ tunc actioni humanæ adduntur, non constituunt actionem in alia specie morali, sed solum illam in malitia aggravant, vel diminuunt. Sic furtum decem aureorum est in specie furti; quòd si addas circumstantiam majoris quantitatis v. g. furtum fuisse duodecim aureorum; non extrahetur ad aliam diversam furti moralem speciem, sed solum addetur circumstantia aggravans; ut item, si addas circumstantiam minoris quantitatis v. g. furtum fuisse quinque aureorum, addetur circumstantia diminuens: pari modo, si occidas parvo odio, vel magno, hoc est, remisso, vel intenso tuum inimicum, addes quidem circumstantiam aggravantem, vel minuentem, non tamen diversam moraliter speciem.

in bi...

AMBRINI  
in  
Eccles. præcepto  
de  
E II  
30. b.

7. His prælibatis, illa folet regula communiter afferri; tunc circumstantia dicitur mutare speciem moralem, seu transferre actionem ad speciem aliam, quando ea circumstantia pertinet ad aliam virtutem, seu vitium; tunc verò non dicitur transferre actionem ad aliam speciem, quando non pertinet ad aliam virtutem, seu vitium: quoniam ergo circumstantia rei sacræ pertinet ad cultum Religionis, seu ad Religionis virtutem; idè si addatur communi furto, mutabit, seu transferet furtum ad speciem furti sacrilegi: at quia circumstantia majoris, vel minoris quantitatis ablata, non pertinet ad aliam virtutem, seu vitium; semper enim est contra Justitiam, sive major sit quantitas ablata, sive minor, idè non additur alia moralis species: quæ verò pertineant ad aliam, quæ ad eandem virtutem, colligi debet ex ipsis materijs virtutum, vel vitiorum; id quod, habebitur ex tractatione de virtutibus, & vitijs; & multò magis ex Doctoribus, qui sunt studiosè legendi: quod cum Tyronibus sit laboriosum, idè modò dixi, difficilem fore minus expertis perfectam cognitionem rei, de qua loquimur: nos certè satis plura docebimus, huc facientia in sequentibus.

*Circumstantie mutantes, vel non mutantes speciem.*

8. Certum est, & colligitur ex dictis, in eodem actu posse esse multiplicem malitiam, specie morali diversam, & hanc esse omninò Confessori aperiendam; in furto rei sacræ

v. g. est species malitiæ furti, & est species malitiæ sacrilegij; in actu fornicationis contra votum castitatis est species malitiæ contra ipsam castitatem, & species malitiæ contra promissionem factam DEO, id est, contra Religionem: quare in confessione non est satis, dicere: *Ego furatus sum, ego peccavi contra castitatem*; sed dicere opus erit: *Ego furatus sum rem sacram; Ego peccavi per fornicationem v. g. contra votum, quod habeo castitatis*; atque hæc de circumstantijs speciem aliam constituentibus: quid autem sit dicendum de circumstantijs, speciem moralem non mutantibus, jam subdo.

9. Duplex de his est opinio; Suarez, Sanchez, Fagundez, alijque citati à de Lugo de *Pœnitent. disput. 16. sect. 5.* iustinent, circumstantias notabiliter aggravantes, vel notabiliter diminuentes, quamvis speciem non mutant, debere aperiri in confessione. Debet ergo (ajunt hi) dicere pœnitens: *Furatus sum v. g. mille*, si mille furatus est; *vel furatus sum decem*, si decem furatus est; rationem illam inter cæteras præcipuè reddunt, quia Confessarius, qui est Judex, debet omnia cognoscere, quæ mutant ipsius judicium pro, vel contra Pœnitentem.

10. Verum S. Thomas, Valentia, Vaquez, quos citat ibidem, & sequitur de Lugo, ajunt, necesse non esse illas aperire, quamvis sint notabiliter aggravantes, vel diminuentes; Ratio est, ajunt; quia non est imponendum tam grave onus, nisi constet de lege, quæ de hoc nulla est; cum Concilium



Tritentinum solum aperiri dicat ex necessitate species, & numerum peccatorum, nihil de meris circumstantiis: & quidem merito; nam hoc iudicium in Sacramento Pœnitentiæ debet esse suave jugum pro Christianis, quod certe nimis grave esset, si etiam dictas circumstantias explicare juberentur; utraque sententia probabilis est; hæc autem posterior est hominum fragilitati accommodatior.

## NUMERUS.

Et primò,

### De pluralitate individualis malitiæ.

11. Diximus paulò ante, numerum peccatorum esse aperiendum; & quidem cap. 9. à num. 30. satis explicavimus, quando præcitus numerus menti non occurrit, quomodo benè addatur illud (*plus, minus*) & similia; nunc tamen luit in proprio loco aliquot dubitationes resolvendæ, admodum scitu necessaria.

Et prima quidem dubitatio est hujusmodi: dictum modò, & sæpe est, species morales malitiæ, quæ resident in eodem actu esse expresse confitendis: jam quid dicendum de multiplici individualitate malitiæ; seu, quod idem est, & de multis numero malitiis, quæ in eodem actu non ratò inveniuntur; vulnerasti, seu occidisti uno actu, unica v. g. bombardæ explosione, viginti homines ejusdem conditionis; suntne in hoc unico actu occisionis viginti individuales malitiæ, an una

dumtaxat? Et quomodo confitendæ? Sane, Suarez de Pœnit. disp. 22. sect. 5. à num. 34. putat, esse unam; Valquez de Pœnitent. disput. 91. artic. 1. num. 4. putat, esse viginti; Antonius Perez, alijque in opere posthumo de integritate confessionis putant, esse unam, sed virtualiter, seu æquivalenter viginti.

12. Sed nos omittentes hanc questionem speculativam, dicimus, si in eodem actu sedeant plures individuales malitiæ, siue una, dicimus, inquam, non esse opus, ut Pœnitens has malitiæ individuales explicet; satis igitur in exemplo allato erit, sic dicere: *Ego unico ictu seu unica actione occidi plures*, nec opus est, ut si fortè fuerint quindecim v. g. viginti, triginta, &c. hunc numerum adjungas; quòd si occidisti tantum hominem unum, non potes dicere: *occidi plures*; idque propter aliam rationem; quia scilicet non fatereris tuum unicum peccatum, & sic in confessione mendacium in re gravi proferres; neque item potes dicere; *commisi homicidium*; si plures occidisti, nam Confessarius sic intelligeret, unum fuisse occisum: at verò quando occidisti unico actu plures, & fateris, te plures occidisse, jam in alia pluralitate, & generalitate fateris tuum peccatum, nec mendacium in confessione profers.

13. Adverte, si in illis pluribus unico actu interfectis, adsit fortè aliquis v. g. Sacerdos, id debet à te omnino declarari, quia tunc in illo unico actu alia specifica malitiæ contra virtutem Religionis adderetur; nam idem modò, numero præcedente dixi (homines

N 2

mines

mines ejusdem conditionis) & eodem modo dic in similibus.

Ratio autem, quod probabile admodum sit, non esse opus prædictis individuales malitias explicitè confiteri, quod latè defendit de Lugo *de Pœnit. disp. 17.* est; quia, ne redderetur hoc Sacramentum nimis onerosum, & scrupulis obnoxium, Christus Dominus noluit præcipere, ut in confessione explicarentur expressè omnes numero malitiæ, quæ fortè in aliquo peccaminoso actu resident: idque nobis declaravit Concilium Tridentinum, quod, ut supra vidimus, solùm ait, esse constitendas species diversas, & numerum peccatorum: de diversis autem numero malitijs, ne verbum quidem addidit.

14. Quod diximus de occidente unico actu plures, dic in similibus: quare si quis uno actu desiderat turpem congressum cum multis mulieribus, sive quinque sive decem, sive pluribus ejusdem conditionis v. g. solutis, satis dicet Confessori; *Ego uno actu desideravi turpiter multas solutas*; si desideravit occidere decem, quinque, plures, communes homines, satis dicet: *Desideravi unico actu occidere plures*; si animo decrevit, decem, viginti, plures dies Quadragesimæ v. gr. non servare jejunium, satis dicet: *unico desiderio, seu uno voluntatis actu decrevi, non jejunare multis diebus Quadragesimæ*: Quòd si actu non jejunavit, tunc enim verò debet dictum numerum explicare, quia sic non est unicus actus, in quo resident multæ individuales malitiæ, sed sunt plures numero actus, quot nimi-

rum fuerunt dies, in quibus actu non jejunavit: idem dic, si illas plures solutas cognovit, quia tunc sunt plures numero actus fornicationis, & sic in alijs.

15. Denique illa duo documenta semper ob oculos habe. Nam primò, si Confessarius interroget pœnitentem, debet is omninò expressè manifestare dictas individuales malitias, ut etiam circumstantias non mutantem speciem (ut id etiam hac occasione dicam) hæc enim, & similia pertinent ad Confessionem, ut supra docuimus.

16. Secundò, aliquando etiam non interrogatus, in aliquibus casibus, debet pœnitens ex se declarare prædicta. Fac enim excommunicationem latam esse contra occidentem plures, vel furtum commune ultra centum auroreorum esse peccatum reservatum; tunc profectò, si plures quis occidit, vel ultra centum furatus est, explicare hæc ex se debet, ut per se patet. *Legè in simili de Lugo disp. 16. de Pœnitenti, num. 256.*

*An, & quo modo aperiendus est peccati interni continnuatus numerus?*

17. **S**ecunda dubitatio, si quis per annum v. g. odio habuit inimicum; si quis per mensem turpiter concupivit puellam; si quis desideravit per annum furari rem aliquam, &c. certè quia multoties hos actus interrumpit, propter somnum, propter negotia, & propter varias occasiones intercurrentes; ideo multos individuales actus peccaminosos elicit: quærimus ergo, quo-

quomodo hi sint confessioni legitime subijciendi?

18. Respondeo, si ejusmodi actus interruptit quis contraria voluntate, nolens amplius illum peccaminosum actum, sed deinde mutato hoc bono proposito, iterum rediit ad malum illud volendum, debet fidelis eas actuum revocationes in confessione distinctè manifestare, in quantum recordari valet; nam per illam contrariam voluntatem, posteriores sunt distincti actus à prioribus, tum in genere physico, tum in genere morali, distincti, inquam, numero, atque adeo ex Tridentino specialiter confitendi.

19. Si verò ejusmodi actus non fuerunt interrupti voluntate contraria, nec alio modo, mox num. 22. explicando, sed solum per solitum somnum, variaque negotia communiter occurrentia, est duplex opinio.

Altera docet, per hanc, & quamcunque interruptionem multiplicari numero actus, & consequenter ex Tridentino in confessione ( quantum alicui recordari datur) aperiendos; hanc sententiam tenent plures cum Suarez, Vasquez, aliisque, quos citat de Lugo *disput. citata num. 566.*

20. Altera docet, non multiplicari numero, sed moraliter censi unum numero actum: quare sufficere aperire tempus in hunc ferè modum: *Per unum diem, per unum mensem, per unum annum odio habui, vel maledixi interne inimicum meum; concupivi puellam solutam; desideravi, seu volui furari equum alienum, &c.* sic enim dicendo, jam intelligit Confessarius,

hoc actus per varias consuetas distractiones fuisse interruptas; sive sæpissimè quis interrupterit, sive raro, quia sive pauci, sive multi illi actus judicantur unus moraliter; & quidem cum omnes uniantur, seu sistant in illa una permanentia habituali malæ voluntatis, & ex cujus primi actus vi sequantur alij, meritò omnes ( cum tot sint disparati) unus moraliter judicabuntur; hanc sententiam tenent plures, quam sequitur de Lugo loco citato, & cum alijs Diana p. 2. tract. de sacr. res. 95. quæ sanè probabilis est, licet præcedens sit in rigore probabilior: quòd si essent disparati, nec unus dependens ab alio præcedente, seu à prima illa mala voluntate, essent singillatim confitendi, quia unitatem non haberent. Hæc tamen secunda sententia indiget duplici exceptione.

21. Prima est, si duraverunt actus solum in uno calore peccandi, non est improbabile, nequaquam oportere tempus explicare, ut distinctius dicam mox à num. 28.

22. Secunda, quando nimis magna est interruptio, non erit judicanda stare dicta habitualis permanentia: fac v. g. te voluisse interne tuum inimicum occidere hodie, sed deinde ejus omnino oblitus, sive propter longum tempus unius, vel alterius anni v. g. sive propter gravia tua negotia, sive propter protectionem in aliam civitatem, sive propter aliud, veluti naturâ sua, evanescat illa prava voluntas, quamvis à te ea expressa revocatione non retractetur; si postea redeas ad eandem illam pravam voluntatem, sanè novo,

& distincto moraliter actu redibis: unde tanquam de alio novo, distinctoque actu illum fateri oportebit; siquidem ea prior, vel antiqua, vel distans voluntas non censetur habitualiter ita permanere, ut jungatur cum hac presenti volitione ad faciendum unum moraliter actum.

*An, & qua ratione aperiendus est numerus actuum peccati externi, quando habent inter se connexionem?*

23. **T**ertia dubitatio: in ordine ad unum, eundemque effectum, seu finem habendum, potest quis multiplicare actus externos plures; Petrus v. gr. intendens occidere suum inimicum per dies multos illum querit, parat arma, de nocte surgit, &c. Hi omnes actus (quamvis ex se sint differentes, de his enim hic loquimur) tendunt ad unum finem occisionis, & unus actus conjunctionem habet cum alio, omnesque dependent ab illo primo actu voluntatis occidendi: simili modo juvenis intendens puellæ amorem, surgit à somno, à domo sua exit, querit occasiones turpis congressus, &c. Queritur, quomodo hi omnes actus externi sint apud Confessarium deponendi?

24. Respondeo: Probabilissima sententia est, omnes dictos externos actus, quamvis dependentes ab uno, eodemque fine, esse inter se distinctos, distincteque eorum numerum esse in confessione, quantum quis recordari potest, aperiendum; Ratio est, quia

in rigore quilibet ex ipsis concipit malitiam ex illo fine pravo.

25. Sed probabilis etiam sententia est, facere ita unum numero peccatum, ut sufficienter illud, quis confiteatur, si addat tempus, quo illa mala voluntas perseveravit, sic dicendo: *Per unum mensem, per unum annum procuravi homicidium mei amici, vel turpem congressum puella soluta.* Ratio est similis, ac modò prædicta de internis; omnes enim hi externi actus ununtur in una habituali permanentia ejusdem peccati circa eundem finem.

Supponendum autem semper est, malam illam voluntatem non fuisse retractatam, eo modo, quo supra dictum est *num. 16.* & insuper est hic etiam applicandum id, quod supra *num. 21.* dictum est de uno, eodemque impetu, seu calore; quod mox distinctius explicabo à *num. 28.*

26. Denique adverte, si usus es aliâ personâ ad habendum tuum malum finem, id esse novum peccatum, atque adeo esse speciatim explicandum, & quidem quoties id feceris, quia hæc est inductio proximi ad peccatum.

Quæres: licetne alicui confiteri dictos connexos actus sine mentione temporis, sed solum dicendo finem obtentum sic: *Commisi homicidium mei inimici; turpiter cum puella congressus sum, &c.*

Respondeo, Ita putat Merola *t. 1. d. 2. à num. 40.* sed non est audiendus; quia sic non videris, tuum peccatum satis explicare, quamdiu permanentiam peccati habitualis non explicas.

De ijs actibus externis, quando  
connexionem non habent.

27. **Q**uarta Dubitatio. Dicitur  
est de actibus habentibus  
unum eundemque finem, habentque  
connexionem inter se, & dependentiam  
unius ab alio; quid, si fiat disparati?  
Explico: Turpiter tetigit Titius  
puellæ manum, & hinc ad quadrantem,  
vel horam tetigit eandem, sed independenter  
à primo actu; unusne hic erit  
actus moraliter, an duo? Et suntne,  
ut duo aperiendi? Si unus, satis esset  
dicere, semel tetigi, &c. si duo, opus  
erit explicare ipsas numeratas vices,  
quando potest in mentem quis revocare,  
si eæ multoties, modo dicto, repetita  
fuerunt; non tamen videmur posse  
recurere ad illum confitendi modum  
per tempus, quo illæ vices fuerunt  
continuatae, quia hic agimus de  
actibus, quando non faciunt unum per  
continuationem, sed de illis, quando  
sunt disparati.

28. Respondeo igitur, certam esse  
sententiam, hos actus esse moraliter  
plures, & nisi adsit illud, quod mox ad-  
demus num. seq. esse eorum numerum,  
quantum in memoriam quis revocare  
poterit, explicandum; ratio est modò  
tacta, quia unus actus ex his distinctus,  
est non dependens ab alio, ut supponimus;  
ergo eos non possumus tanquam  
unum continuatum confiteri.

29. Verùm, est etiam sententia  
probabilis, quòd quanto in eodem  
calore, vel impetu, sive iræ, sive con-  
cupiscentiæ, sive odij, hos actus multi-  
plicas, tametsi physicè sint plures actus;

est, inquam, sententia probabilis, quòd  
sit unus morali modo, & humano: ra-  
tio est, quia omnes hujusmodi actus  
uno impetu, & calore peracti habent  
unitatem, & continuationem in uno  
illo impetu, secundùm communem ho-  
minum existimationem.

Hinc si in eodem impetu concupi-  
scentiæ tetigisti manum puellæ, & ite-  
rum in eodem fervore tangas, si in eo-  
dem calore bis, ter blasphemiam ean-  
dem replices; si ex eodem impetu in-  
imicum bis, ter maledicis, quamvis  
hi actus non dependant à primis, seu  
connexionem cum prioribus non ha-  
beant; quia tamen uniantur in uno  
impetu, calorèque, censentur unus  
moraliter, potestque sic Confessario  
manifestari: *Semel tetigi &c. semel  
blasphemavi, semel maledixi &c.*

30. Dicitur semper est (in eo-  
dem calore) nam si refrigescente, seu  
cessante calore illo, actum eundem re-  
plices sine dependentia à priore, vel si  
priorem illum retractasti, & deinde  
eundem reassumis, multi erunt nume-  
ro actus, & distinctè erunt confitendi,  
ut modò explicatum est.

31. Sequitur autem ex Doctrina  
num. 21. data, quòd si Clericum in  
eodem iracundiæ impetu, duobus, tri-  
bus, quatuor ictibus percussisti, unam  
incurristi excommunicationem: si ini-  
micum contumelia affecisti, eandemq;  
in eodem impetu contumeliam repli-  
casti, unum numero contumeliæ pec-  
catum commisisti.

Si unico veluti contemptu famam  
alicujus graviter læsisti, ejus occulta de-  
licta pluries contra eundem replican-  
do,

et in bi...

AMBRIN  
IN  
ECCLESIA PRÆCEPTO  
DE  
ACTIBUS  
E II  
30. b.

do, unum numero infamiae delictum patrafti: eundem, dico, nam si alium, certè diversus numero erit actus: imò aliquando erit diversus specie; ut si cepisti hominem percutere, & postea voluisti occidere: cepisti detrudere, & deinde superueniente detracto, prosequeris, aliquando erit contumelia: cepisti rem communem furari, & deinde prosequeris furtum rei sacrae: sane tunc specialiter sunt hi actus propagandi, ut ex supra dictis patet.

32. Notanda denique hinc sunt duo; primum, quoniam, quando hi actus perseverant per plures horas, sex v. g. septem, decem, &c. non possunt esse, spectato modo operandi hominum, ex eodem impetu, in eodemque calore, licet fuerint continuati ex vi priorum; idè tunc debet saltem explicari tempus, sic: ego per horas sex, vel decem eandem blasphemiam effudi; eandem contumeliam contorsi; idem perjurium commisi: at si sint disparati, erunt singillatim apud Confessarium numerandi, juxta ea, quae modò dixi num. 28. & 30. quod idem dixi n. 17. de internis, quando sunt disparati, & idem est faciendum ab eo, qui fortè in eadem nocte, bis, ter successivè turpiter, quamvis cum eadem peccet, debet enim has vices numeratim confiteri; quia qualibet copula consumata est disparata ab alia, & habet suum terminum distinctum ab alia.

Dices, Sacerdos, qui successivè audit in peccato mortali plures Confessiones, unam post altiam, in sententia probabili; quam habet de Lugo de Penitent. disp. 16. num. 558. & n. m.

135. non committit plura num. peccata; & idem dicitur etiam, si Confessarius modicè deflexerit ad alios sermones minimè facientes ad ejusmodi ministerium; quia illa modica distractio non tollit successivam illam continuationem. Undè satis erit si Sacerdos sic peccatum hoc suum exponat, Confessario: *Audivi una vice plures confessiones, absolutionemque in statu peccati mortalis administravi: ergo qui una, eademque nocte v. g. plures copulas habet cum eadem, & qui plures copulas cum pluribus ejusdem conditionis inicit, ut item, qui plures homines occidit successive, non obligetur numerum copularum, & occisionum explicare, satisque esset dicere: Plures copulas eadem nocte habui, plures semel occidi.*

Respondet, profectò prima facie non apparet clarè disparitas inter dictos duos casus; sicuti non apparuit Carraeli, qui in *Theologia fundamentali in secunda editione num. 735.* me de insequentia hinc notat: sed disparitatem adesse, probat de Lugo loco citato, ex capite unius irreverentia ejusdem Sacramenti Penitentiae. lege item Leonardum de Censuris disp. 3. quaestio 44. qui eandem nostram Doctrinam sequens, affert disparitatem, ductam ex distincto termino, quem ex se habet copula consumata, & idem diceret de praedictis homicidiis, &c.

33. Notandum secundò, me dixisse quidem num. 28. Sententiam dicentem, eos actus uno impetu peccatos censeri unum moraliter peccatum, probabilem esse; sed quia ibidem dixi, pro-

probabilem esse etiam aliam sententiam, quæ docet eos tamen in eodem impetu factos, esse tot peccata, quot sunt actus physicè, quamvis intra breve tempus elicti; ideo sequens hanc opinionem, poteris confiteri illos tanquam plures: quare si in illo unico peccaverante calore, ter, quater, quinque eandem injuriam v. g. protulisti, poteris dicere: *Ego ter, quater, quinque affect proximum injuria*; & sic in similibus.

*An, & qua ratione aperienda sint ab habituali peccatore diversa numero, vel specie peccata?*

34. Quinta dubitatio. Exercet non raro quis officium multis numero, vel specie peccatis involutum, qualis est usurarius, meretrix, viarum Grassator, & similes; æquo tandem modo hi tot, & tam varias peccatorum species, eorumque numerum aperire debent?

35. Triplex est sententia; Prima aliquantulum rigida, Secunda nimis benigna, Tertia media inter has. Primam sequuntur nonnulli apud Fagundez, & Dianam mox citandos, qui putant; ejusmodi peccatores habituales debere speciatim numerum, specieque omnes peccatorum Confessario manifestare, in quantum eorum per diligens examen recordari queunt; secundam sequitur Navarrus *in summa cap. 6. num. 15.* qui docet sufficere, si solum aperiatur tempus mali status; dicendo v. g. per tot annos fui meretrix omnibus exposita: mediam, quæ est omni-

*Tambur. de Præcept. Eccles.*

nò præferenda, sequitur Fagundez *præcept. Ecclesie 2. lib. 3. cap. 4. num. 11.* alijque apud Dianam p. 3. *Tract. 4. resol. 89.* qui volunt sufficere quidem, si explicetur tempus mali status, sed explicari etiam debere aliquo tandem modo species peccatorum, quæ menti per diligens examen occurrere possunt: Meretrix v. g. explicet, an peccaverit cum Sacerdote, cum uxoris, cum propinquis &c. & saltem in confuso multitudinem numericam in hunc ferè modum: toties, plus minus v. g. decies peccavi per mensem, vel per hebdomadam in tribus annis mei status, & quidem in dictis tribus annis cum Sacerdotibus bis, vel ter in mense (quantum recordari potest) semel, vel bis in mense cum propinquis, vel cum uxoris, &c. Ita etiam usurarius, vel fari habituali sufficit dicere fui talis per decem annos, quatuor, vel ter furans rem gravem in singulis mensibus, vel hebdomadis; semel verò, vel bis in anno furans rem sacram: Ratio hujus doctrinæ est, quia aliquando aliqua meretrix v. gr. in Civitate frequenter pluries in die peccavit, aliqua in parvo Oppido vix peccavit; semel in hebdomada; Puella fortasse multoties; effeta mulier rarissime, & fortasse nunquam cum Sacerdote, vel cum propinquis; quare ut fiat judicium morale à Confessario, hic saltem confitendi modus erit habituali peccatori necessarius.

36. Semper autem memineris, quod dictum est in præcedentibus de retractatione per contrariam voluntatem, & de magna distantia inter actus, & similibus.

O

CA-

## CAPUT XV.

*Circumstantie nonnulla, quæ  
distrabunt, vel non distrabunt  
actum peccaminosum ad  
aliam speciem.*

1. **Q**uoniam supra cap. 14. dictum est, operosum esse decernere, & magno studio opus esse, ad cognoscendum, quando nam ad sit circumstantia peccati speciem mutans; idè necessarium judico, præter regulam ibi traditam percurrere summam materias aliquas, indicando ea, quæ mutant, quæve non mutant moralem speciem. Ordinis autem gratia, proponam primò, aliqua, quæ circa DEUM versantur; secundò, quæ circa proximum; tertio, quæ circa seipsum.

*Circumstantie mutantes, vel  
non mutantes speciem, quæ  
circa DEUM.*

Fides.

2. **A**dorans v. g. idolum sine errore intellectus, quo credat, illud esse DEUM, vel adoratione dignum; si addat, se credere illud, DEUM esse, vel dignum adoratione, addet speciem diversam, nempe Idololatriæ externæ, addetque hæresim, atque ad eò utramque speciem confiteri expressè debet.

3. Siquis neget unum articulum fidei, est hæreticus, & satis est dicere in confessione; *incidi semel, vel bis in hæresim*, quemcunque articulum negaverit; nam negare hunc, vel illum articulum, non addit novam speciem,

cum omnia peccata contra fidem sint circa unam, eandemque obligationem credendi objecta per fidem proposita.

4. Si quis negationi alicujus articuli addat voluntatem acceptandi aliam sectam v. g. Judaismum, vel Paganismum, vel Calvinismum, vel Lutheranismum &c. debet hæc explicare, quia præter peccatum infidelitatis, dum addit voluntatem acceptandi sectam aliquam ex illis, vult peccata diversæ speciei, quæ in illis committuntur, ut in Judaismo superstitiones varias v. g. Circumcisionis; in Paganismo cultum Idolorum; in Calvinismo negationem Sacramenti Eucharistiæ; & sic in similibus.

Apostasia verò, quæ est, quando relinquitur in totum, vel in partem fides, quam quis suscepit in Baptismo, non est necessariò explicanda; unde satis est dicere, negavi fidem, quia Apostasia, & Hæresis differunt solum secundum magis, & minus.

5. Si quis tamen negat v. g. DEUM esse bonum, duas peccati species admittit; nempe speciem hæresis, & speciem Blasphemie; Hæresis, quia negat articulum, seu articulos Fidei; Blasphemie; quia addit injuriam, seu contumeliam in DEUM, faciendo illud non bonum.

6. Ignorari à Fidei adulto culpabiliter articulos ex necessitate Præcepti credendos v. g. Trinitatem, Incarnationem &c. sive ignoretur hic articulus, sive ille, eadem est species, peccati, cum id sit intra eandem obligationem, nempe sciendi, quod ex officio,

&




de Professione Christiana credendum est: quare sic sufficienter eiusmodi peccatum aperietur; Ignoravi cum culpa articulos fidei: Dixi (ex necessitate præcepti) nam ignorare culpabiliter, quæ sunt de necessitate mediæ, cum supponat, hominem illis assensum non præbuisse, adderetur species peccati contra charitatem sui ipsius, cum sine tali assensu adultus salvari non possit, ut distinctius explicant Theologi in præf. de Fide.

7. Eum, qui negat articulum fidei, quem ex culpa gravi noluit scire; & alium, qui negat articulum Fidei, quem scit, esse Fidei articulum, puto, eandem speciem peccati committere, quia utraque malitia tandem resolvitur in contemptum autoritatis revelationis divinæ: æquæ enim uterque divinum testimonium parvipendit, idque in ordine ad Confessionem, non verò semper in ordine ad aliud. quare uterque rectè confitebitur, si dicet, *Negavi articulum Fidei.*

Dixi (non verò semper in ordine ad aliud) nam qui peccat ex dicta ignorantia quamvis culpabili, non incurrit excommunicationem, quam incurrit scienter negans. Si quidem excommunicationis est imposta absolute contra negantem scienter, & cum pertinacia; unde tunc non ratione diversitatis in specie morali, sed quia debet absolvi ab excommunicatione; ideo debet explicare, se cum scientia negasse, sic in

similibus.



## Spes.

8. SI quis, dum peccat, sperat, peccatum illud se ritè in confessione depositurum, eiusmodi circumstantia non mutat speciem peccati: satis igitur erit, si dicas: *Ego peccavi tali peccato v. g. homicidij;* Immo addunt aliqui, hanc esse circumstantiam diminuentem potius, quam aggravantem, quia hic peccat cum bona voluntate se emendandi, veniamque petendi, ita Comitiolus in resp. mor. lib. 4. q. 52.

## Superstitiones, &amp; similia.

9. Divinatio per ignem v. g. non differt specie morali à divinatione per aquam, per volatum avium &c. At si addatur pactum cum dæmone explicitum, addetur alia peccati species, nempe commercij cum DEI, & hominum inimico: pari modo, si maleficium, seu qualibet alia superstitione fiat, miscendo sacra profanis, v. gr. cum hostia consecrata, cum aqua benedicta &c. addetur species sacrilegij contra reverentiam debitam rebus sacris, ut item, si dictum maleficium v. g. fiat ad mortem alicui inferendam, additur species homicidij; si ad furandum, additur species malitiæ contra justitiam commutativam, & sic de similibus: quare singula ex prædictis sunt speciatim in confessione manifestanda.

## Blasphemia.

10. Blasphemiæ circa DEUM, vel circa Sanctissimam Virginem, vel Sanctos ex probabiliore opinione

O 2

inter

inter se differunt specie; sed est etiam probabile, saltem regulariter, non differre; quia regulariter Sancti non coluntur ob excellentiam propriam, sed ut referuntur ad DEUM. Quod si in aliquo, raro casu blasphemaretur, propria ipsorum excellentia, tunc sane constitueretur alia species speciatim confitenda; & quidem diversa erit illa, quæ fiet contra sanctos; quàm, quæ fieret contra Sanctissimam Virginem, quæ autem sunt contra hunc, vel illum sanctum, specie morali non differunt, quia parum differt excellentia unius sancti ab excellentia alterius.

Si blasphemix addatur aliquid contra fidem, addi malitiam hæresis, jam supra monuimus: ut etiam de blasphemijs una, eademque exandescencia prolatis, satis supra disseruimus, c. 14. n. 29.

*Votum, & juramentum.*

11. **S**I votum fregisti, unam speciem peccati commisisti, nempe contra virtutem Religionis, seu contra fidem DEO datam: at si votum fuit juramento munitum, alia additur species, hoc est, contra obligationem non adducendi DEUM in testimonium falsitatis.

Vota autem, vel juramenta, sive facta immediatè DEO, seu Beatissimæ Virgini, sive Sanctis, non differunt morali specie, quia communiter intentio ultimata voventium, vel jurantium est DEUS, qui in Sanctis illis colitur. Quod si in raro casu intendatur propria sanctorum præstantia, vel autoritas, dicè idè, quod modò explicavimus n. 10.

12. Juramento falso, ut & alijs omnibus peccatorum speciebus, si addatur, ea committi ex inverterata consuetudine, non transferuntur ad aliam speciem; quia peccata præterita non addunt præsentì peccato novam malitiam: illud tamen recole, penitentem obligari consuetudinem aperire, si à Confessario interrogetur, ut cap. 9. num. 8. docebamus; quoniam verò ponere se in periculo peccandi, peccatum est ejusdem speciei, ad quod est periculum; idè qui frequenter peccat, advertendo ad hoc, quod acquirit facilitatem, atque adeò periculum frequenter voluntariè peccandi, deberet is in confessione hoc explicare; non obligatur tamen regulariter, quia ad hoc periculum non advertit, qui peccat, atque adeò excusatur communiter ob inadvertentiam. Lege de Lugo disp. 16. de Pœnis. n. 203.

*Missæ.*

13. **O**Mittere Missam, sive die Dominico, sive alijs festis de præcepto, una, eademque species peccati est; nempe contra virtutem Religionis, seu contra obedientiam superioris præcipientis.

Quando autem causa, vel finis, qua moveris, illam omittendi non est ex se mala, non additur nova species; sive igitur omiseris Missam ad finem studendi, vel dormiendi, vel ad similem finem indifferentem, satis est, Confessario dicere; *Missam præceptam omisi*; at si causa est mala, vel malus finis certè tunc additur alia species; quare tunc debes ita fateri: *O-*

*missæ*

missæ Missam ob finem adulterandi, omisi  
ex causa furandi.

14. Quod dictum est de sine omit-  
tendi Missam, applica ad quodcunque  
aliud peccatum (ut id hac occasione u-  
niversaliter advertas) quare si fuereris,  
ad dictum finem adulterandi v. g. (quo  
pacto, ait Aristoteles, te potius esse ad-  
ulterum, quam furem; quia actus  
maximè specificatur à fine) duo pec-  
cata specie diversa committis, utrum-  
que confitendum: nempe furti (quod  
etiam præciudicando à dicto fine, est ex  
se peccatum) & adulterij; an has duas  
species possis separatim confiteri, dicam  
c. 18. à num. 7. Contra, si fuereris  
ad dandam eleemosynam, vel ad ve-  
nandum verb. grat. unam contrahas  
speciem moralem malitiæ, nempe  
furti.

De confabulationibus in Missa de  
præcepto, vide mox cap. 16. num. 15.

#### Jejunium.

15. Violatio Jejunij Quadragesimæ,  
v. g. non est species distincta  
à violatione jejunij vigiliæ, vel quatuor  
temporum; quare tatis erit sic dicere  
Confessario: *Non jejunavi die præcep-  
to*; quia utraque est contra tempe-  
rantiam, seu (ut aliqui volunt) contra  
obedientiam Superioris, jejunium præ-  
cipientis ex motivo temperantiæ ad ho-  
norem Dei; at si illud idem jejunium  
ex Ecclesie præcepto impositum tu vo-  
visti, vel tibi illud ipsam fuit impera-  
tum à Confessario, distrahetur ejus vio-  
latio ad alias species speciatim confi-  
tendas; sit enim tunc contra obligatio-

nem virtutis Religionis, vel obedien-  
tiæ Confessarij.

Quòd si fregisti jejunium, non so-  
lùm pluries comedendo cibos quadra-  
gesimales (quando satis esset dicere:  
*Fregi jejunium præceptum*, etiamsi cen-  
ties ejusmodi quadragesimales cibos  
eodem die comederis) sed etiam man-  
ducando carnem, vel lacticiam?

Respondeo. Debes tunc explicare  
speciatim hanc carnem, vel lacticio-  
rum comestionem; quia hujus est spe-  
cialis prohibitio: siquidem præceptum  
abstinendi ab his est ex alio motivo mo-  
raliter in hominum existimatione di-  
verso: debes item addere, quoties in  
die illa comederis, cum hoc sit præcep-  
tum negativum, quod semper obligat,  
& ad semper.

#### Ingratitudo, Inobediencia, &c.

16. Si expresso animo intendas, vel  
te esse ingratum Deo, si ei  
non obedire, si ejusdem leges contem-  
nere, species diversas peccatorum ad-  
mittis, hoc est, contra obligationem  
debitam tuo Benefactori, contra obli-  
gationem debitam summo tuo Superio-  
ri, contra obligationem debitam sum-  
mo tuo Legislatore; unde hæc sunt tan-  
quam species diversæ expressè manife-  
standæ.

Præterea, quia, quælibet culpa con-  
tinet implicite in se malitiam ingratitu-  
dinis erga Deum, inobedienciæ contra  
Deum, atque contemptus contra ejus-  
dem leges; nam propterea hæc vocan-  
tur circumstantiæ generales, quæ in  
omni genere peccatorum inveniuntur;  
ideò in rigore, quoties aliud quodcun-

O 3 que

atque in bibliot.

AMBVRIN  
in  
Eccles. præcepto  
de  
VARRI  
de  
E II  
306

que peccatum confiteris, deberent aperiri Confessario; sed tamen dico, id ex alio capite necesse non esse, quia nimirum statim, ac tu confiteris peccatum, jam satis, superque fateris has generales malitias imbibitas in omni culpa, easque jam sufficienter intelligit non indoctus Confessarius.

## CAPUT XVI.

*Circumstantiæ mutantes, vel non  
non mutantes speciem, quæ sunt  
circa proximum.*

1. **I**njuria gravis, sive facta ascendentibus, nempe Parentibus, Avibus, Proavis, &c. sive descendantibus, nempe filiis, nepotibus, pronepotibus, &c. sive collateralibus, nempe fratibus, sororibus, consobrinis, &c. & item facta affinibus eodem proportionaliter ordine, quibus adde conjuges, differt specie morali ab injuria inflata externis, quia contorta in illos est contra amorem, & pietatem eis debitam; quare non satis est, dicere: *Graviter injuriavi, percussi, occidi, maledixi proximum*, sed opus est, explicationem addere conjunctionis, & propinquitatis.

2. At debeone explicare à me gravi injuria affectum, vel percussum, vel occisum, &c. fuisse Patrem, vel fuisse filium, vel Nepotem, &c. an satis sit, dicere: *injuriavi, percussi, &c. eum*, cui reverentiam ex pietatis virtute debebam?

3. Respondeo, communem esse sententiam, debere; quia diversam

moraliter speciem peccati à recta ratione apprehenditur, esse illum actum, quo filius v. gr. malè se habet contra patrem, quàm quo pater se habet contra filium, in quem paternam habet potestatem, & sic de aliis ascendentibus, & descendantibus: in collateralibus autem injuriam v. g. in fratrem, vel in sororem putant nonnulli Doctores inter se specie non differre; quia æquè se videtur habere soror erga fratrem, atque hic erga illam, & idem dicerent (credo) de viro & uxore.

4. Dixi (communem esse sententiam) nam videtur etiam esse probabile, injurias omnes contortas in consanguineos, vel affines, non esse inter se diversas moraliter species; quia omnes secundum magis, & minùs habent obligationem non se convitiandi, seu non se offendendi ex eadem scilicet radice pietatis ortam: quare satis esse, putant aliqui, dicere: *Ego contumelià, injurià, maledictione, &c. mihi conjunctos affecti, vel eos percussi, occidi, &c.* vide, quæ mox dicentur num. 32. ubi agemus, an incestus cum consanguinea propinquiore differat specie ab incestu cum mixto propinqua? Atque ex ibidem dicendis num. 34. colliges, injurias, de quibus loquimur, factas contra conjunctos conjunctione spiritali, esse specie diversas ab injuriis factis contra prædictos conjunctos cognatione temporali, atque adedò speciatim confitendas; quia (ut ibi advertemus) in illis fit injuria Sacramento, unde illa spiritalis conjunctio dimanat.

Homicidium, illique affinia  
sacrilegia.

5. Dixi modò num. 1. si homicidio addatur esse Patrem v. gr. vel contanguineum &c. addi novam speciem; nunc ajo, si addatur esse in Ecclesia notoriè commissum (nam si occultè dicitur mox n. 17.) superaddi malitiam sacrilegij contra Ecclesiam reverentiam, in quo casu ea etiam violatur: idem dic de percussione cum notabili sanguinis effusione.

6. Quid de percussione in Ecclesia sine morte, & sine effusione sanguinis? Dico tunc non superaddi ex jure Ecclesiastico sacrilegij malitiam, nec violari Ecclesiam, ut habet de Lugo *dicitur de sp.* 16. num. 466. & latè Diana *part. 1. r. tract. 5. ref. 44.* an verò superaddatur species malitiæ sacrilegij ex natura sua, & in propria sacrilegij specie, quasi id sit ex se gravis Dei irreverentia, colligetur ex his, quæ dicam infra num. 26. de turpi delicto in Ecclesia commisso. Præterea si occidas Clericum, aut Religiosum, vel illos, suadente Diabolo, percussis, nimis exploratum est, superaddi sacrilegij speciem (quia offenditur homo Deo dicatus,) & incurri excommunicationem Summo Pontifici ex se reservatam.

De occisione, vel simili percussione in causa, ut cum ebrius v. g. prævidens, se aliquem hominem interfectorum in ebrietate, se tamen inebriat, dicam infra in tractatu de ebrietate.

*Mala alicui volita.*

7. Huc reducitur consideratio de malis alicui volitis; assero

igitur, si quis desiderat, seu vult malum inferre proximo, debere illud in confessione explicare, an hoc malum fuerit mors, an infamia, an damnum rei familiaris; Hæc enim mala sicuti inter se moraliter differunt, quia diversa jura violant; ita & differunt voluntates malæ illa inferendi: debet igitur dicere Pœnitens: *Optavi, seu volui inferre mortem, seu corporalia mala, optavi inferre infamiam in honore, optavi inferre detrimentum in rebus, seu bonis meo inimico: quoniam verò eorum malorum physicæ individuaciones materialem solum, & physicam diversitatem afferunt, non verò moralem, idè non est necesse, dicere v. gr.: optavi occidere gladio, vel sclopo, furari aurum, vel argentum, &c. sed satis, ut dixi, est, si dicas: optavi occidere, optavi res alienas auferre, &c.*

8. At verò si quis desideret quidem malum alicui, sed non vult illud malum ipse inferre, quo pacto desiderium sistit in mera inefficaci voluntate, non est necesse, illa mala speciatim explicare, quia tunc omnia sunt æquè contra charitatem proximi. Quando igitur solum, quis inefficaciter desiderat, ut proximus occidatur, ut infamiâ afficiatur, ut depauperetur, sed hæc aliunde eventiant, nec ipse ea inferre velit, se satis explicabit, dicendo: *his, ter, quater, &c. desideravi ex odio malum grave proximo.*

9. Idem propter eandem rationem dic de similibus malis, quæ proximus patitur, si quis de illis gaudeat, seu complaceat; tunc enim satis erit, sic peccatum suum aperire: *Gavisus ex odio*

atque in bi...

AMBVRIM  
IN  
ECCLESIA PRÆCEPTO  
DE  
VARIIS  
DE  
HIS  
E III  
306

odio sum de malo gravi quo affectus erat proximus meus; quod si voluntatem habuisti, illa mala inferendi, vel gavisus es, seu complacentiam habuisti, quod illa intuleris, debes speciem mali declarare: quia tunc non sistitur in mero desiderio, seu gaudio, sed fit transitus ad ea mala volenda. Lege de Lugo loco cit. num. 263.

Si ille, contra quem prædicta committit, fuerit conjunctus cognitione temporali, vel spiritali, quando qualitates ipsarum personarum declarari debent, modo dictum est à num. 1. & multa suis in locis dicentur inferius.

#### Luxuria.

10. **H**Oc delictum committitur aliquando circa proximum, hoc est, cum socio, seu complice; idè hic locum suum habet: sed quia aliquando committitur sine complice, idè etiam pro hac parte locum habebit infra capite sequenti, cum de peccatis circa seipsum disputabimus.

Porrò luxuriæ species morales sunt septem: Fornicatio simplex, Sacrilegium, Adulterium, Incestus, Stuprum, Raptus, Peccatum contra naturam, quæ singulæ sunt manifestandæ Confessorio, & hic breviter sunt à nobis explicandæ.

#### Fornicatio simplex.

11. **S**implex fornicatio est congressus viri cum muliere soluta in vase naturali: unde non est satis sic confiteri in genere: *commisi peccatum contra castitatem*; debet enim explicari ipsa fornicationis species.

Qui tamen ter v. g. peccavit cum tribus solutis, (vel etiam cum tribus conjugatis, &c.) vel ter cum eadem soluta, (vel conjugata, &c.) satis est, si dicat: ter fornicatus sum, (ter adulteravi, &c.) nam sive cum eadem, sive cum diversis, semper eadem est malitiæ species, si ejusdem sint conditionis; quando tamen interrogaris à Confessore, debes aperire, ut saepe in simili interrogatione dictum est supra, præsertim cap. 9. à num. 6.

12. Qui peccat cum filia confessionis (abstrahendo à sollicitatione, quia sic peccans addit speciem sacrilegij contra reverentiam Sacramenti Pœnitentiæ) & qui peccat sive vir, sive mulier, frangendo voluntariè virginitatem, & qui peccat cum virgine voluntariè consentiente, non addunt ex hac parte novam speciem (quod certè satis est probabile) esto, addere probabilius asserant nonnulli, lege Sanchez de matr. l. 7. disp. 4.

Si virgo turpiter peccando inferat fortè infamiam familiæ, adderetur alia species peccati propter damnum, quod infert suorum famæ, contra pietatem parentibus debitam. Ita de Lugo loco cit. num. 228. addens duo: Primum, hoc idem esse in qualibet fãmilia honestæ conditionis, immò & in Religioso, qui sic peccantes inferunt ignominiam familiæ, seu ordini suo. Secundum: aliquando id habere excusationem, quia bona fide putant, delictum non fore manifestandum.

13. Eunuchus, vel frigidus cum aliqua peccans, debet explicare, se esse talem, quia tunc non solum adest malitia

nia ex affectu ad fornicationem, quam tentat, sed etiam malitiam contra naturam, nam dispergit sine fine naturali generationis, tum suam, tum feminæ quaecunque semen. Idem dic propter eandem rationem de eo, qui copulam incipit, & deinde resilit, foras semen dispergendo; tunc enim est affectus ad copulam, & item dispersio seminis, esset autem solum actus turpis, & non fornicatio, si quis copulam inciperet, animo non absolvendi; nec semen emittendi, & non emitteret: sed tamen erit in confessione explicandus dictus tactus, quem Doctores vocant tactum impudicum.

14. Quando quis turpiter ingreditur v. in domum mulieris honestæ cum periculo peccandi, quamvis non peccet, debet explicare, in periculum peccandi se immisisse, quia, qui amat periculum, peribit in illo; & quidem ea specie peccati, ad quod est periculum: at qui ingreditur ad peccandum, & peccat, probabile est, satis esse, si explicet peccatum, nec opus est, ut expressè dicat, se, & periculum peccandi voluisse, & peccasse; hæc enim duo, sunt una tunc moraliter malitia, nisi forè intercedat notabilis distantia inter subitionem periculi, & peccatum; nam tunc essent duo numero peccata distincta.

15. Denique, Quando positivè aliquem invitas, sollicitaque sine vi, v. g. puellam, cum qua deinde sine dicta notabili distantia peccas, probabile est, te non obligari, explicare, fuisse te primum ad alliciendum: siquidem

Tambur. de Præcept. Eccles.

eadem est malitia, licet non tam gravis, quando non præinvitas, cum illa peccas: nam eodem ferè modo in utroque casu, unus est particeps peccati alterius: non sic, si cum illa non peccas; debet enim tunc explicari sollicitatio: Ita Joann. Sanchez disp. 5. n. 40. & de Lugo de Pœnit. d. 16. n. 42. ex sententia Vasquez.

16. Idem dic (ut obiter non omitam) de confabulantibus in parte notabili Missæ diei festivi, & in turpium colloctione, atque similibus: nam propter eandem rationem non obligaris in hac probabili sententia, explicare, an primus ad alloquendum fueris; si tamen quis invitavit, sed deinde non processum est ad colloquium, vel certè multo post, debet id explicare: nam tunc peccatum sollicitationis est distinctum numero ab ipso pravo colloquio.

Dixi modò num. 15. (sine vi) quia cum vi, esset stuprum, de quo mox suo loco.

#### Sacrilegium.

17. **S**acrilegium in hac materia luxuriam ex duobus capitibus contrahi potest; primò ex persona sacra; secundò ex loco sacro.

Quoad prius, persona sacra est illa, quæ vovit castitatem, sive voto privato, sive solemniter per professionem religiosam, vel per assumptionem ordinis sacri: Hæc igitur si votum frangat, debet manifestare Confessario suum votum, quia violatio voti, ut supra innuebamus, trahit turpem actum ad aliam

P

liam

liam speciem malitiæ, nempe ad malitiam, quæ est contra consecrationem sui corporis DEO oblato, quod est sacrilegium, de quo est præsens locutio.

Dixi (sive voto privato, sive solemniori) nam probabilissimum, est votum solemne à privato (quoad hoc) non differre specie morali, quia per utrumque æquè quis consecratur DEO; Religiosus igitur, & monialis Religiosa, & in sacris constitutus satis habent, si dicant: *Ego fregi votum castitatis per fornicationem, vel per aliam speciem luxuria, &c.*

18. Nota autem duas esse numero malitias, utramque conficiendam in te Professo, vel constituto in sacris, vel in te habente votum castitatis privatum, peccante cum habente similia vota; quare tunc debes dicere, te habentem votum, peccasse cum votum habente. Ratio est, quia hoc est quidem idem specie sacrilegium, sed est duplici peccaminosa actione satis diversa infectum; una, ex parte tua contra jus DEI, quod ipse habet ex tuo voto; altera ex parte alterius, cum quo tu idem cooperaris contra aliud jus ejusdem DEI, quod ipse habet ex voto alterius. Simile quid dicam de adulterio mox n. 28. diversum enim quid videtur esse sacrilegium, quod tu committis in tua persona, à sacrilegio, cui cooperaris in persona alterius.

19. Dubitant hic nonnulli, an peccans turpiter cum infideli non baptizata, v. g. cum Judæa, cum Turca &c. præter fornicationem committat, sacrilegium? Certè probabile est, sa-

crilegium committi; quia fit contra reverentiam Sacramenti Baptismi; sed est etiam probabile, esse solum, quantum est in ordine ad Confessionem, simplicem fornicationem, quia gratis videtur dictum, sic peccantem injuriam specialem facere suo Baptismo; nam sic quodlibet peccatum, faciliè diceret, esse sacrilegium; quia dici posset, sic irrogari semper injuriam Baptismo; Pœnæ ergo gravissimæ à legibus constitutæ contra peccantem cum infideli, quas videre potes apud Farinacium de delictis carnis quæst. 139. notant quidem gravitatem majorem, sed non diversitatem specificam; sicuti pœnæ homicidij proditorij non ostendunt diversitatem specificam proditorij à non proditorio, sed solum majorem gravitatem, sed in eadem specie contra justitiam.

20. Quoad posterius. *Locus Saccer*, quoad hunc effectum constituendi sacrilegium, est Ecclesia cum suis capellis, & Cæmeterium, si sint vel consecrata, vel ab Episcopo benedicta, vel sacris officijs, aut fidelium sepulturæ deputata. Si quis igitur in hoc loco sacro turpe peccatum cum seminis effusione, sive per obscenam copulam, sive per pollutionem committit, committit sacrilegium; & quidem si seminis dicta effusio sit notoria, certum est, esse ex jure Ecclesiastico sacrilegium; nam, dum Ecclesia voluit, ut per illam locus sacer violaretur, posuit talem actum in linea sacrilegij; at si sit occulta, probabile est, non esse ex hoc capite sacrilegium, ut sustinent multi apud Dianam p. 21. tract. 8. resol. 34.



& ferè viginti Doctores apud Verde in *defensione Caramuelis quest. 4. § 89.* Et ratio est, quia hæc feminis effusio idè esset sacrilegium, quia per jus Ecclesiasticum pollueretur Ecclesia, sed in probabilissima opinione hæc non polluitur per occultam effusionem, ut nec polluitur per sanguinis effusionem occultam, ut notant multi apud eundem Verde ibidem, ergo &c.

21. Notatamen si deinde ejusmodi feminis, vel sanguinis effusio fiat, notoria, fore reconciliandam Ecclesiam, ut rectè monet Alcanius Tamburinus *tom. 1. de jure Abbatum d. 22. quest. 11 num. 8.* alijque, quia tunc incipit esse contra dictum jus Ecclesiasticum.

22. Copula, & similia in dormitorio Religiosorum, vel in claustris, & habitatione eorundem non est sacrilega, nec in sacristia, aut cameris adjacentibus, nec in turri, quod Campanile appellamus, nec in cubiculis officialium, & similibus locis, quæ nec sunt Ecclesie, nec ejus partes.

Neque obstat (ait Castropalaus *2. disp. 1. de reverentia debita locis sacris p. 6. num. 8.*) quòd prædicta loca gaudeant immunitate, quia hoc privilegium, cum sit favorabile, etiam extenditur ad illa alia loca; contra verò effectus violationis Ecclesie, cum sit penalus, & odiosus ad ipsam solam Ecclesiam restringitur.

23. Oratorium domus privatae, quamvis eo celebretur Missa ex privilegio Fœderis, nec gaudet immunitate, nec copula in illo est sacrilega, quia nec est Ecclesia, nec ad illam pertinens,

24. Ita etiam supra tectum Ecclesie, vel extra Ecclesie portas, vel in parte externa parietum copula non est sacrilega, bene autem est non solum in cappellis ad Ecclesie latus adnexis; verum etiam in ejusdem cappellis subterraneis, vel superioribus, ut item in Choro à terra elevato vel scabellis distincto, quem Oratorium aliqui vocant; & breviter in omnibus locis, qui sunt inter tectum, & pavementum Ecclesie, quia verè sunt partes Ecclesie. *Lege de Lugo de Eucharistia disp. 20. numer. 58. & Castropalaum loc. cit.*

Oscula, tactus turpes, & similia facta sine feminis effusione in Ecclesia, illam non violant, nec ex hoc capite juris Ecclesiastici sunt sacrilegia.

25. Dico hic, & dixi supra (ex hoc capite juris Ecclesiastici) nam maxime est advertendum, sacrilegium item posse committi præscindendo à dicto jure; sed ex natura sua, & in propria specie, quando turpitudine in Ecclesia peracta ex se esset irreverentia DEI, vel ejus cultus: Si quis meretricem, v. grat. publicè ante altare Sanctissimi Christi Corporis, præsertim expositi, impudicè tangeret: nonne magnam DEO irreverentiam inferret, etiam exclusa omni Ecclesie prohibitione? Hinc Diana *p. 11. tract. 8. resolut. 58.* putat, peccare cum famina gestando reliquias Sanctorum, non esse sacrilegium; quia nimirum putat, id non esse gravem irreverentiam; at sacrilegium esse gestando Sanctissimæ Christi Crucis reliquiam, vel Sanctissimum Christi Corpus, vel Oleum Sacrum

atque in bi...

AMBRINI  
in  
Ecclesie Præcepto  
de  
VARRI  
de  
E II  
3086

extremæ unctionis ; quia scilicet putat, id afferre irreverentiam gravem ; & ibidem *Resol. 58.* censet, fornicari statim à Communionem esse sacrilegium, de quo iterum redibit sermo *in tract. de Communionis cap. 18. num. 8.*

16. Regula igitur illa universalis sit, in his, vel similibus casibus, uti advertis, gravem irreverentiam summi DEI, vel ejus cultus, esse, etiam præsciendando ab Ecclesiæ prohibitione, mortale sacrilegium, secus non item ; neque enim omne peccatum commissum in Ecclesia est culpa sacrilega, saltem mortalis, sed solum illud, quod irreverentiam gravem sapit ; quam facilius inveniri in actibus obscænis, quam in alijs, dicam infra *in tract. de Comm. d. c. 13. num. 8.* Lege Verde, *loc. cit. quest. 4. §. 88.* qui sic addit ; Fateor tamen aliquam irreverentiam esse, sed venialem, in omnibus peccatis factis in loco sacro. Quid si Christus Dominus sit expositus ? tunc puto, peccatum esse sacrilegium, non ex lege humana, sed ex ipsa præsentia DEI, quæ majorem exigit reverentiam, quod est commune delictis in præsentia Principis, quæ acriori pœna puniuntur ; Ecclesia tamen non polluitur. Hæc ille : vide tamen dictum citatum *c. 13. de Comm. n. 8.*

#### *Adulterium.*

27. **A**dulterium est turpis congressus conjugati cum soluta, vel contra ; quando ergo conjugatus turpiter peccat cum soluta, vel contra, debet explicare conjugium, quia

tunc ultra malitiam fornicationis incurrit culpam contra justitiam.

28. Quando autem conjugatur peccat cum conjugata, debet utriusque status explicari ; quia tunc duo sunt peccata, alterum quo quis peccat in sua persona contra suum conjugem ; alterum, quo cooperatur cum alio, ut ille in sua persona peccet contra conjugem suum quæ in simili dixi super *n. 8.*

19. Præterea quando conjugatus, vel conjugata peccat cum alio, vel etiam cum sua uxore (odomitico, vel cum bestia, vel cum dæmone, & ve occultatur, sive impudicè tangit alios, vel alias à sua conjugate, adulterium committit ; unde & hæc peccata luxuriz, & suum conjugij statum explicare in confessione debet ; & quamvis aliqua ex his non sint propriè dicta adulteria, debet tamen illa confiteri ; quia sic semper frangitur fides data conjugi ; Qui jam celebravit sponsalia, peccat cum alia à sua sponsa, non committit in probabilissima opinione adulterium, quia per sponsalia nondum datum est jus in corpus, quod solum datur per verba de præsentem, per quæ matrimonium ritè celebretur.

#### *Incestus.*

30. **I**ncestus est peccatum luxuriz, quod committitur cum persona conjuncta ; quoniam verò triplex est classis hujusmodi conjunctorum, prima consanguinitatis, & affinitatis usque ad quartum gradum, inclusivè ; secunda adoptionis legalis, tertia conjunctionis spiritualis, id est, orta ex Baptismo, vel Confirmatione, ideo

ideo de singulis compendio est hic à nobis dicendum.

31. Quò ad primam ergo, qui peccat cum confanguineis, vel affini- bus usque ad gradum quartum inclusi- ve, debet id explicare; quia tunc su- peradditur malitia incestus contra re- verentiam conjunctis debitam.

32. Sed incestus inter seiplos dif- feruntne specie morali? Incestus v.g. cum matre differunt ab incestu cum a- lia, vel cum sorore, vel cum consobri- na &c. ita ut in confessione non satis sit dicere: *Ego his, vel ter v. g. Incestum commisi, sed speciatim dicere oporteat, commisi incestum cum matre, commisi incestum cum sorore, &c.*

Duplex est sententia, utraque pro- babilis: altera affirmat esse obliga- tionem speciatim gradus confanguini- tatis, vel affinitatis explicandi, saltem proximiores: altera ait, ejusmodi ob- ligationem nequaquam adesse, quia omnes incestus ejusdem sunt speciei; omnes enim sunt contra reverentiam, conjunctis debitam, & solum differunt secundum magis, vel minus. Lege auctores apud Dianam p. 1. tract. 7. ref. 31. & p. 11. tr. 7. ref. 24.

33. Quoad secundam classem con- junctionis per adoptionem legalem, idem prorsus est dicendum, quod mo- do dictum est de conjunctione carnali; ratio est, quia Ecclesia, propter idem motivum reverentiæ debitæ carnaliter conjunctis; prohibuit ejusmodi turpes congressus inter conjunctos ex ado- ptione; ita de Lugo dicta disp. 16. de Penit. num. 382.

Quoad tertiam de conjunctione spi- rituali, dico, hunc incestum esse expli- candum, ut distinctum ab incestibus prædictis carnali, & legali; quia cum hæc spiritualis conjunctio ortum habeat à Baptismo, vel Confirmatione, addet circumstantiam Sacramenti, ratione cujus additur species malitiæ, quæ re- ducitur ad genus quoddam sacrilegij, cum fiat contra reverentiam debitam conjunctis ex sanctitate Sacramento- rum: puto tamen, non esse necesse, explicare, incestum fuisse cum con- juncto spirituali per Baptismum, vel fuisse cum conjuncto spirituali per Con- firmationem; sicuti etiam puto, non opus esse explicare, an fuerit per pater- nitatem, vel per compaternitatem, quia semper est eadem irreverentiæ malitia.

35. Sciant autem tyrones quòd cognatio hæc spiritualis multipliciter olim oriebatur in jure antiquo; hodie tamen à Tridentino sess. 24. cap. 1. de Reformatione, ad quatuor dumtaxat classes personarum restricta est: nam Prima contrahitur à Baptizato, vel Confirmato cum Baptizante, vel Con- firmante: Secunda ab eodem Baptiza- to, vel Confirmato cum Patrino, vel Matrino; & utraque hæc appellatur Paternitas: Tertia contrahitur à Patri- no, vel Matrino cum Patre, & Matre Baptizati, vel Confirmati: Quarta à Patre, vel Matre Baptizati, vel Confir- mati cum ipso Baptizante, vel Confir- mante, & utraque hæc compaternitas appellatur.

36. Denique si quis sodomiticè co- gnoscat aliquam, vel aliquem con- jun-

Etos conjunctione sive carnali, sive legali, sive spiritali, ultra malitiam, contra naturam, contrahit etiam malitiam incestus; quia etiam sodomiticè peccando fit contra prædictas reverentias; idèmq; de oculis, tactibusque impudicis, habebunt enim, hæc, & malitiam impudicitæ, & malitiam incestus.

*Stuprum.*

37. **T**urpis congressus viri cum virgine renitente, stuprum est, speciatim confitendum; quia addit injustitiæ malitiam illatam per illam vim, cui virgo succumbere coacta est. Renitente (dixi) nam cum consentiente, esse simplicem fornicationem ex sententia probabili, docuimus modò *num. 12.*

*Raptus.*

38. **R**aptus est peccatum luxuriæ; quo persona (sive hæc sit virgo, sive soluta, sive etiam puer) abducitur cum violentia ad turpem actum cum ea exequendum: quare cum sit specialis luxuriæ species, est specialiter Confessario aperienda; differt autem à stupro, quia hoc semper est respectu virginis, at raptus est de quacunq; muliere, immò etiam, ut dixi, de puero.

39. Requiritur autem ad raptum tria; nimitum vis illata, finis inhonestæ libidinis, & abductio.

Vis aderit, vel quando illa mulier, puerve, renitatur, quamvis consentientibus parentibus, vel quando illa, vel ille velit, sed parentibus non consentientibus: nomine autem pueræ,

tum intelliguntur ij, sub quorum cura, & potestate mulier, vel puer est: quod dictum est de vi, dic etiam si per dolum & fraudem persona abducatur: dolum enim æquivaleret violentiæ.

40. Finis inhonestæ libidinis aderit etiam, si aliqua vi abducatur ad finem matrimonij contrahendi; sic enim matrimonium velle, inhonestum est; immò tunc, dum rapta est in manu rapientis, si matrimonium fortè contrahatur, invalidum erit, & nullum ex *Trid. sess. 24. cap. 6. de Ref.* si quis rapiatur ad alium finem, non inhonestæ libidinis, non est raptus, und si mulier rapiatur, ut fiat serva v. g. non raptus erit, sed species furti, & in jure vocatur Plagium; quæ certè species erit expressè confitenda, quia, ut ex se patet, addit malitiam contra justitiam, &c.

41. Abductio denique debet esse propriè abductio; nam propterea, quando sine abductione de loco ad locum aliquis faminae per vim copuletur, contrahit quidem specialem malitiam contra justitiam, speciatim Confessario declarandam; sed raptum propriè non contrahit. Quid si faminam, puerumve abducas de uno cubiculo ad aliud, vel in locum non valdè distantem in eadem domo, seu loco? Respondeo; tunc non committis raptum propriè dictum, quia non est abductio vera illa, qua personam in diversum moraliter locum non trahis, debes tamen hanc vim confiteri; quia tunc, ut dictum est, additur malitia contra justitiam, stuprumque erit, si mulier sit virgo.

*Pec.*

## Peccatum contra Naturam.

42. **E**st illud, quod dispergit semen extra finem generationis, ad quem semen est à natura destinatum; quatuor autem sunt ejus species morales distinctim, ac speciatim Confessione subijciendæ; sodomia perfecta, sodomia imperfecta, bestialitas, ad quam reducitur congressus cum dæmone, mollities, seu pollutio.

## Sodomia Perfecta.

43. **P**erfecta Sodomia est turpis congressus, seu concubitus viri cum viro, fœminæ cum fœmina: ita S. Thomas p. 2. quest. 52. art. 11. Nota autem, non satis esse dicere in Confessione, sodomiam commisi; etenim est item explicandum. An quis fuerit agens, an patiens. Ratio est, quia agens committit pollutionem, seu seminis dispersionem, quam patiens, eò ipso quòd sit patiens, non committit: ita de Lugo disp. 16. de Pœnit. num 243. contra quem immeritò agit Diana p. 11. trat. 3. ref. 4.

44. Præterea est distinguendum, quando fœmina cum fœmina turpiter concreditur, nam si id fiat commiscendo corpora ex affectu solùm se polluenti, id est, explendæ libidinis, est mollities; si ex affectu ad indebitum sexum, est, ut diximus ex S. Thoma, sodomia.

45. Illa autem celebris hoc loco est questio, an reservata in aliqua Diœcesi sodomia, absolutè intelligatur de agente solùm, qui est ille, qui seminat in-

tra vas præposterum viri, hæc enim est undequaque certa sodomia; An etiam de patiente? quæ certè sodomia etiam appellatur.

De utraque intelligi propter rationem dictam probabilius est, sed intelligi solùm (nisi aliud in reservatione addatur) de agente, non possum, non putare probabile, ut tenet Grassius in *Practica casuum reservatorum lib. 1. cap. 11.* Ratio est, quia certa, & propria sodomia, ad quam unam debet se extendere Reservatio (quæ est ex omnium Doctorum consensu odiosa, & restringenda) solùm est illa, per quam seminatur in vase præpostero masculi, id quod certè non fit à patiente.

46. Puto item, prædictum congressum fœminæ cum fœmina ex affectu ad indebitum sexum non esse in simili absoluta reservatione reservatum, quia non est sodomia communiter nota, & deficit ab illa propriissimè dicta, in quam solùm, ut diximus, cadit reservatio.

## Sodomia imperfecta.

49. **H**æc, quam aliqui innaturallem concumbendi modum appellant, committitur, quando vir cum fœmina concreditur extra vas naturale; est autem distincta species à perfecta; quare speciatim confitenda; perfecta enim est ex affectu ad indebitum sexum, hæc autem est ad debitum quidem sexum, sed ad indebitam ejus partem, seu ad partem ejus innaturallem,

Be

*Bestialitas, & congressus cum  
dæmone.*

49. **E**st species luxuriæ; quæ quis turpiter concreditur cum re animata non ejusdem speciei cum homine, & quamvis debeat omnino speciatim aperiri, non tamen est necesse, explicari species animalis, nec ejus sexus; semper enim est eadem deformitas in specie morali; satis ergo erit dicere: *Commisi bestialitatem*, sive fuerit cum equo, sive cum vitula, &c.

50. Reservatâ sodomia, intelligi reservatam bestialitatem aliqui affirmant; sed propter similem rationem à prædicta de sodomiis imperfectis, verius negat Bonacina *de materiâ. quest. 4. p. 11. num. 5.*

51. Congressus cum dæmone huc reducitur, siquidem hic non est ejusdem speciei cum homine: est tamen specialiter aperiendus, quia per ipsum superadditur commercium cum Deo, & hominum inimico; ideo est peccatum contra Religionem, & contra charitatem propriam.

52. Notandum insuper hic est, debere in hoc congressu cum dæmone explicari, an dæmon fuerit sub specie viri, an sub specie fœminæ, an sub specie monialis, an sub specie bruti, &c. tunc enim adderetur alia species luxuriæ, nempe affectus ad tales sexus, &c.

*Mollities.*

**D**E hac suus erit locus mox in explanatione peccatorum contra seipsum.

*Furtum commune.*

53. **D**iximus in superioribus *cap. 14. n. præsertim 6.* probabile esse, majoris quantitatis furtum non esse specie diversum à furto minoris, utrumque enim est contra justitiam, adversus rem familiarem proximi: quare satis erit dicere: *furatus sum quantitatem notabilem.* Quid si fortè à Confessorio de quantitate interrogaris? jam supra diximus, illam à te omnino esse explicandam.

54. Furtum, quo quis unico actu bona multorum lædit, quo quis v. gr. furatur bona communitatis, vel hereditatis plurium, satis explicabitur, si dicatur: *furatus sum à communitate, vel hereditibus*; nec esse quis sollicitus debet explicandi, quotnam personæ in illa communitate, vel hereditate reperiantur: immò satis esse dicere: *furatus sum rem alienam*; quia ille respectus ad personas in hac materia videtur, se magis materialiter habere, quàm in aliis materiis; potius enim hic consideratur quid, quàm à quo per justitiam abstulisti.

55. At rapina quamvis sit furtum, seu rei alienæ contrectatio; tamen quia addit violentiam, quæ est vis, & contumelia contra Dominum adversus justitiæ virtutem, dominique honorem, ideo debet speciatim explicari, tum ipsa, tum ille, cui illata est vis, & contumelia.

*Furtum Sacrilegum.*

56. **F**urtum Sacrilegum, quod est ablatio rei sacræ, cum addat

malitiam contra virtutem Religionis, debet etiam speciatim in confessione patet.

Committitur autem tribus modis: Primò, si quis furetur rem sacratam, undecunque illam furetur v. g. calicem consecratum; Secundò, si quis furetur rem Ecclesie propriam v. gr. candelabra, argentum, aurum, &c. etiam existentia extra Ecclesiam, sed quæ sint in Ecclesie dominio: Tertio, si quis furetur rem profanam quidem, sed quæ sit Ecclesie tradita, seu commendata, ut sit sub Ecclesie custodia, de qua Ecclesia tenetur, v. g. Aula secularia ad Ecclesiam ornandam ipsi Ecclesie commodata; Ratio est, quia in his furtis semper irrogatur injuria peculiaris ipsi Ecclesie, ejusque dominio.

57. Non sic, si quis furetur crumenam v. g. hominis existentis in Ecclesia, vel tellam v. g. ejusdem hominis in Ecclesia positam ad domini commoditatem, & non sub Ecclesie cura, vel vestes, & similia, quæ Parochus nomine tuo, & non Ecclesie servat: furans enim in his casibus injuriam non irrogat Ecclesie; unde non nisi commune furtum committit, lege Fag. Ecclesie præcepto 2. lib. 4. c. 4.

58. Et in furto quidem, vel rapina sacrilegij, nota, quòd si fiat cum effractione Ecclesie, incurritur excommunicationis; duo autem debent concurrere ad hanc excommunicationem. Primum spoliatio, seu furtum grave Ecclesie: Secundum effractio. Advertunt autem Doctores cum Suarez d. 22. de censuris, & cum Sayro lib. 3. cap. 29. ad contrahendam hanc excommunicationem de Præcepto Ecclesie.

communicationem, non esse necesse, quòd Ecclesia spoliatur omnibus bonis, sed sufficit quæcunque subreptio gravis; Advertunt præterea iidem, sufficere quamlibet violentam Ecclesie apositionem, sive murus rumpatur, sive paries suffodiatur, sive vitrea fenestra frangatur, sive tectum perforetur.

*Detractio.*

59. **L**icet detractio in materia graviore, magis proximum infamet, quàm in minus gravi; tamen, quia semper sistitur in eadem specie damni famæ (quod est contra justitiam proximo debitam, undè illa sit restituenda) idèd latius est, sic se accusare: *Infamari proximum, seu detraxi de illo graviter*: sive dixeris, illum esse sodomitam, sive furem &c. semper enim secundum magis, vel minus famam proximi à detractore læditur, si nihil aliud addatur; undè sequitur, si verum crimen proximi, sed quod erat occultum, alijs propalasti, satis sit etiam, sic confiteri: *lesi graviter proximi famam*, sine necessitate explicandi, an verum fuerit crimen, an falsum; quia malitia detractiois consistit in læsione famæ, quæ æquè in utroque calculatur.

60. Idem dic de judicio temerario; satis est enim dicere: temerè de proximo graviter judicavi, sive judicaveris, illum esse hæreticum, sive furem, sive homicidam, &c. quia semper sola fama læditur.

61. Dixi tamen (si nihil aliud addatur) nam si ex tua detractioe præ-

Q

præ-

in bibl. 48.

AMBEVRIN  
in  
Ecclesie præcepto  
VARRI  
de  
E II  
306

prævides proximum, non solum esse infamandum, sed etiam illi aliquod aliud damnum, præter infamiam esse proveniendum; aliam speciem malitiæ addes omninò explicandam; & pari modo ipsa fama, & hoc damnum est restituendum, sic autem confiteberis: *Infamavi graviter proximum, prævídendo, ex mea infamia fore illum occidendum, vel suo officio, vel beneficio privandum, &c.* quia tunc additur malitia contra vitam, vel contra bona: & quia hæc sunt bona diversa, debent speciatim explicari juxta modò dicta n. 7. Præterea, si de factò fuit occisus, seu privatus, debes id aperire, tanquam effectum tui peccati, sed juxta doctrinam, quam dabimus infra in tractatu de *Jejunio, in Purgeon de ebrietate, cap. 3. num. 57. & 60.* ubi explicabimus, quandònam quis obligatur explicare, non solum sui peccati causam, sed etiam effectum.

62. Inquires debetne explicari, coram quibus detractio facta fuerit, & item conditio personæ infamata?

Respondeo, licet acrius infametur, proximus, si coram multis, quàm si coram paucis, tamen cum hæc culpa, aggravet quidem, sed intra eandem speciem, non est necessariò in confessione explicandum: idem dic regulariter de persona infamata, hoc est, non necessariò esse illam exprimendam; undè satis erit, sic fateri; *graviter infamavi proximum*, sine necessitate explicandi, affuisse duos, vel sex, vel decem; nec significandi eum, contra quem egi, fuisse Regem, vel Sacerdotem: Excipe, nisi fuisset Parens, aut

alius, cui ex peculiari alia virtute majorem reverentiam ex pietate debeam. Ita de Lugo *disp. 16. de Pœnit. sec. 3. num. 112.*

63. Adverte autem, te non posse dicere: *Infamavi unum*, si plures infamasti, vel *coram uno*, si infamasti coram multis; quia tunc non diceretur tuum peccatum, sed aliud; dicas igitur; *infamavi plures coram pluribus*; At si infamasti unum coram uno, dic: *coram uno unum infamavi*; si denique plures infamasti coram uno, dic: *plures infamavi coram uno.* Idem dicam mox n. 71. in simili.

#### Scandalum.

64. **Q**Uando quis inducit aliquem ad peccatum, vel alicui causa est peccandi, dicitur illi esse scandalum; id quod tribus modis contingere solet. Primò, si quis inducat aliquem ad peccandum cum directa intentione, ut is peccatum illud, seu actionem peccaminosam faciat. Secundò, si quis aliquod malum, vel speciem mali habens, sine ejusmodi directa intentione faciat; videat tamen proximum inducendum ad peccatum. Tertio si quis aliquid agat, quod quidem bonum sit, seu nec malum, nec mali speciem habens; undè tamen proximus occasionem sibi sumat peccandi.

65. Dico jam primò (initium faciendo ab hoc tertio) tunc non adesse peccatum scandali, etiam si hujusmodi proximi peccatum prævideas; quia in hoc casu peccatum non tibi, sed ipsius malitiæ imputabitur; sic si tu secundum tuum statum ornatè te vestias, tuus



autem æmulus tibi inuideat, vel tibi paupertatem proceatur, non tibi, sed ipsi peccatum tribuitur: Scandalum hoc passivum, seu Pbarisaicum aliqui appellant.

66. Dico secundò in secundo modo, inesse quidem peccatum scandali (quod aliqui activum nominant) sed indirecti: si enim tu proximi peccatum non intendas, non es illi scandalo directè; sed tamen quia facis illud, quod prævides, fore causam peccati proximi contra charitatem ejus peccas: ab illo enim facto propter dictam charitatem abstinere debuisses; & ut supponendum est, potuisses.

67. Adverte autem, sæpissimè non contingere hoc scandalum; quia sæpissimè solet proximus ita esse paratus, & promptus ad peccandum, ut non ex tuo malefacto, sed solùm ex sua malitia peccet ita Sanchez l. 2. Sum. cap. 6. num. 7.

68. Addunt enim, tunc solùm admitti à te hoc peccatum indirecti scandali, quando proximum tuo facto, vel verbo malo, seu speciem mali habente, conjicis in gravem difficultatem, & tentationem, cui difficulter resistere is possit. Ita Salas tom. 3. tract. 13. disp. 5. sect. 15. n. 132. & 133.

69. Quando autem tale indirectum scandalum committitur, debet quidem speciatim Confessario illud aperiri: quia ultra tuum peccatum, est cooperatio cum peccato alterius; sed illud probabilissimum est, nempe non necessariò esse explicandum, ad quoddam genus peccati fuerit cooperatio per scandalum hoc indirectum: quare

si tuo adulterio, tuo stupro, tuo sacrilegio, tuis impudicis verbis fuisti per scandalum indirectum causa, ut alter similia peccata commiserit, non erit necesse in confessione, sic dicere: *Fui per scandalum causa adulterij, stupri, sacrilegij alterius*, sed satis erit, dicere: *Per scandalum fui causa peccati Proximi*, quia tuum hoc indirectum scandalum semper æquè fuit contra Charitatem salutis proximi.

70. Quòd si interno tunc actu considerares, ut proximus illud malum, quod tu patras, committat; explicandum erit speciatim, quale malum fuerit; id enim pertinet ad primam clausulam scandali, de qua mox n. 72.

71. Quoniam verò supra diximus, pluralitatem individualis malitiæ non esse opus explicare, idè etiam nunc, si uno verbo, vel facto fuisti causa, ut plures peccarent, illud peccatum non intendendo; non erit necesse explicare; quot fuerint hi plures, sed satis erit, dicere: *Fui per meam v. g. turpem locutionem causa ruina multorum*: non potes autem dicere, te fuisse scandalum uni, si fuisti pluribus, nec pluribus si fuisti uni, quia sic non fatereris tuum peccatum, sed aliud, ita de Lugo disp. 16. de Pœnit. num. 135. Addens non oportere explicari conditiones personæ scandalizatæ, v. g. illam fuisse uxoratam, sacram, solutam; satis enim erit, dicere: *Fui scandalo uni, vel multis*: Ratio est eadem, quia scilicet eadem semper est malitia in hoc scandalo indirecto, nempe contra charitatem dumtaxat.

27. Dico tertio in primo modo, qui est scandalum directum: non solum debet explicare fuisse alteri scandalum, verum etiam quod per scandalum induxisti proximum ad talem speciem peccati, ad sacrilegium v. gr. ad furtum, &c. Ratio est manifesta, quia tunc peccas non solum contra charitatem, sed etiam contra virtutes oppositas illis peccatis; eadem enim virtus v. g. castitatis, quae te obligat directe ad tuam castitatem, obligat etiam te, ne ex directa intentione proximum ad peccatum contra castitatem inducas.

## CAPUT XVI.

*Circumstantiae speciem mutant, vel non mutant, quae sunt circa seipsum.*

*Jactantia de peccato.*

1. **Q**ui se jactat, seu laudat de aliquo suo peccato; mortaliter peccare, ea peccati specie, de qua gloriatur, non est dubium: de peccato, inquam, nam si de dexteritate, vel de fortitudine, quae fuit in occidendo v. g. sine periculo complacentiae de ipso peccato, vel sine scandalo, non esset nisi veniale; at dubium est; an qui se jactat de stupro v. g. vel de adulterio, vel de furto sacrilegio &c. sufficienter sic confiteatur: *Jactavi me de peccato contra castitatem, vel de peccato furri, &c.*? Dico (si aliud non addatur) non solum sufficienter sic confiteri, sed etiam sufficienter hoc alio modo *toties me jactavi de peccato mortali*; Ratio

est, quia in hac mera jactantia tota malitia consistit in eo, quod offensa DEI eligitur, ut medium ad volendam gloriam apud homines, id quod est magna DEI irreverentia: at eadem aequa invenitur in omnibus mortalibus.

2. Dixi (si aliud non addatur) si enim, dum te de peccato jactas, desideras illud committere, necesse est singulas species, quas desideras, explicare, quia ejusmodi est voluntas committendi eas culpae species.

3. Idem dic, si gaudeas de peccato commisso; nam propter eandem rationem non est nec satis, dicere: *Gavisus sum me commisisse peccatum mortale*, sed opus est, peculiarem speciem exprimere, si *gavisus sum de stupro, de incestu, de concubitu cum moniali, &c.*, quia complacere de peccato à te commisso, est approbare peccatum à te peractum, atque adeo etiam hoc erit explicandum, non ita si pure gaudeas de malo, quod alius inimico v. g. inflixit, ut supra explicavimus *capit. 16. num. 8.*

4. Quid, si quis solum morose deleatur de peccatis sine voluntate, seu sine desiderio illas peccaminosas actiones faciendi?

Respondeo, de hoc jam subdo, quid sit sentiendum.

*Delectatio morosa.*

5. **D**iffert permixte desiderium committendi aliquod delictum, à mera complacentia de eodem: desiderium enim, ut modò vidimus, addit voluntatem ex parte sua efficacem, faciendi illud malum, quod de-

desiderat: at mora complacentia, seu sola delectatio de tali objecto pravo actus est ex se inefficax, & consumatur interius, nec transit ad volendum executioni mandare illud, de quo delectatur: desiderat quis v. g. turpi: et congruere cum aliqua, is sane vult hoc malum patrare; verum si quis solum sibi interne complaceat de ejusmodi turpi congressu, nec vellet ullo modo procedere ad opus (nec illud, si forte fuerit factum, approbaret) moraretur in ipsa pura complacentia, seu delectatione, quæ vocatur à Theologis delectatio morosa, peccatum quidem est, ut per se patet, & potest conringere in alijs materijs, licet frequentius in materia venerea.

Porro quaestio est, an sicuti, si quis desiderat conjugatam, vel monialem, &c. necesse habet, has species in confessione declarare, ut modò dictum est; eodem modo debeat, si solum de illis morosè delectetur? Adverte autem hoc peccatum etiam in instanti posse committi, verum delectatio morosa, quia sistit, seu moratur in se, & non transit ad volendam executionem fortè antea factam?

6. Dico cum Vasquez 2. p. disp. 11. c. 112. & cum Castropalao tom. 1. tract. 2. disp. 2. p. 10. probabile esse, sufficere, si dicatur; bis, ter, &c. turpiter delectatus sum de copula illicita contra castitatem, quamvis persona, circa quam extitit delectatio, fuerit monialis, uxorata, soluta &c. Ratio est, quia tunc non intenditur procedi ad opus, & non intenditur violari jus speciale monialis, uxoratae, solutæ, &c.

ergo accipit suam totam malitiam ab oppositione ad virtutem castitatis.

7. Quòd si quis morosè delectetur de moniali, ut sacra, de conjugata, ut conjugata, certè explicare debet conditionem personæ; quia tunc additur nova species, cum talis delectatio versetur directè in rem sacram, in conjugum &c. Undè fit, ut in delectatione morosa de puero, de actu sodomitico, de bestialitate, de congressu cum dæmone, debeant hæc omninò explicari; quia tunc delectatio versatur in puerum, in sodomiam, in brutum &c.

8. Quando quis respicit mulieres v. g. affectu venereo sine progressu ad eas desiderandas; idem erit, quòd n. 6. dictum est. de pura delectatione morosa, in hoc enim casu sistit interius tota delectatio, quæ tamen non sisteret interius, si quis illas, vel solis oculis invitaret, vel illas inhonestè tangeret; tunc enim quia actio fieret exterior, debet personæ tactæ, vel sollicitæ conditio declarari: ut etiam, si quis aspiceret simili venereo affectu puerum, brutum, &c. debet explicari rei quamvis solum morosè cogitatae conditio, idque propter rationem modò dictam num. 7.

9. Unum superest decernendum; an in delectatione morosa de objecto turpi debeat prænitens explicare statum seu conditionem suæ personæ, esse nimirum Religiosum, seu se habere votum castitatis, vel esse solum &c.

Respondeo, debere, quia tunc peccat contra castitatem, & item contra Religionem. Illud non est improba-

Q 3

bile,

licet in bi...

AMBVRIN  
in  
Ecclesie præcepto  
VARRIUS  
de  
E III  
30.6.

bile, quod docet Gaspar Hurtadus de *subjecto peccati disp. 4. dis. 10.* Vxoratum in dicta pura delectatione morosa de aliena, non habere obligationem explicandi, se esse conjugatum; quia, inquit, in matrimonio, traditur quidem jus sui corporis alteri conjugi, sed non jus in suam mentem; unde non valeat ex vi conjugij cogitare ea, quæ velit, quamvis cum peccato contra castitatem. Scio, Vasquez citatum ab eodem Hurtado docere, etiam ab uxorato debere in dicta delectatione, quamvis purè interiori, explicari suum conjugij statum: sed non adesse sufficiens fundamentum id dicendi, meritò docet prædictus Hurtadus.

*Locutio de rebus inhonestis.*

10. **H**uc reducimus locutionem turpium; potest enim ea esse non rarò sine progrediendi intentione ad opus: dico igitur, si, dum de turpibus confabularis, eadem concupiscas, esse objectum concubitus in confessione declarandum, ut patet ex dictis: at si delecteris solùm vel de narratione ipsa sola turpi, vel de ipsis objectis, de quibus est collocutio sine desiderio de illis, non esse opus explicare; an fuerit locutio de stupro, de adulterio, de incestu &c. nisi fortè delecteris de his, ut talia sunt; qualis est delectatio de sodomia, de conjugata, juxta dicta n. 7.

An in locutione horum turpium debeas explicare, num fueris primus ad loquendum dixi *cap. 16. num. 16.* Ut etiam ex dictis colligi potest, quomodo pecces, si tu loquendo cum socio,

prævides illum non delectari purè dumtaxat, sed procedere ad desiderandum.

*Mollities.*

11. **H**æc definitur à S. Thoma 2. 2. q. 5. art. 11. esse peccatum contra naturam, per quod procuratur effusio seminis extra concubitum, explendæ libidinis causa: est species peculiaris contra castitatem, atque adeò speciatim explicanda; si autem quis, dum hoc crimen committit, figit animum v. g. in conjugatam, in consanguineam, in virum, in brutum, debet etiam hæc speciatim in confessione declarare; contrahit enim item illam malitiam, quam cogitat, seu cui consentit.

12. Si quis hoc peccatum committat manibus alterius viri, vel femine, vel ipse alium, vel aliam suis manibus polluat, debet explicare statum adjuvantis ipsum, vel ab ipso adjuti, quia tunc supervenit alia sive numerica, sive specifica deformitas cooperationis cum socio, ut alibi à me latius explicatum est.

13. Qui ex defectu ætatis, vel ex alia causa (quales sunt pueri, puellæque impuberes, ut item Eunuchi) non possunt motu impudico semen effundere, vel effundunt semen inutile, peccant, peccant mortaliter ex pravo affectu ad pollutionem: sed certè hæc species peccati differt à vera pollutione, cujus est projicere semen contra generationis finem, quæ projectio non est in prædictis ejusmodi, ergo peccatum in impuberibus reducitur re ipsa ad

cautum impudicum, & solum ex affectu est peccatum contra naturam; quare debet hoc speciatim in confessione patet, nisi aliquando obstat monitio, quam jam subdo.

*Monitio pro Confessione turpium.*

14. Quæ hæcenus de peccatis obscenis explicuimus, factum est ad eorum naturam cognoscendam; nam certe non raro expediet de tot minutis nequaquam pœnitentes à Confessariis interrogari, & expedit, ut ipse pœnitens ex se modestis verbis id dicat; quando advertit; sed quoad Confessarios sic habet Filliucius *in instruct. brevis pro Confessariis cap. 2.* Prudens esse Confessarius debet in exquirendis cautè circumstantiis sexti præcepti, præparatoriis ad actum consummatum, modis minutis non necessariis, ne se, vel pœnitentem excitet ad aliquam tentationem.

15. Coninch. etiam sic ait *d. 7. de Sacramentis dub. num. 59.* Præstat aliquando, Sacerdotem minùs perfectè peccatum pœnitentis intelligere, quàm vel illi, vel sibi aliquod scandalum creare, & esse nimium.

16. Angelus *v. Interrogationes num. 1.* sic docet, confitetur mulier, quòd fuerit cognita extra vas debitum, non querat postea Confessarius, in quo loco, vel quo modo, & hujusmodi, sicut faciunt quidam, qui potius sunt contaminatores, quàm Confessores.

17. Delgadillus *de Pœnitent. cap. 17. num. 99.* valdè caute, inquit, de-

bet se gerere Confessarius in examine Pœnitentis circa peccata turpia; unde notant multi, quòd si vir, vel fœmiva confitetur, habuisse copulam extra vas naturale, non debet Confessarius inquirere (addo ego, subdit Delgadillus, quod non permittat declarare) in qua parte corporis, quia sufficit, cognoscere, peccatum illud esse contra naturam commissum cum viro, aut muliere, ut cum Angelo, & Fagund. notat Diana *c. 13. n. 4. n. 99.*

18. His addi potest Verricelli *tr. 4. res. mor. quest. 1. qui num. 5.* sic habet: quando concubina se accusat per annum singulis diebus semel, aut bis cognitam fuisse, quis non videt, quàm turpe sit, quantumque periculi affert, tam Sacerdoti, quàm pœnitenti eam interrogare, quot vicibus penetraverit vas? &c.

## CAPUT XVIII.

### *De medijs, qua assumuntur ad peccandum.*

1. Nonnulla superflua dicenda, quæ ad integritatem confessionis pertinent. Nunc igitur dicamus de medijs, quæ assumuntur ad finem peccandi, nam de fine peccantis satis ea sunt, quæ supra *c. 12. n. 14. & 15.* explicuimus.

2. Porrò prædicta media trium generum esse solent. Primò indifferentia ex se; ut si quis se vestiat, surgat à lecto, ambulet, equitet, ad occidendum inimicum, & de his,

3. Dicq

Docet in bibliot.

ANNEVRIN  
in  
Ecclesia Præcepto  
de  
E II  
30.6.

3. Dico non oportere in Confessione explicare, quænam illa speciatim fuerint: sed solum sic in genere: *tanto tempore conatus sum externis mediis inimicum occidere, seu planius: tanto tempore preparavi media ad inimicum occidendum*: id quod per aliam occasionem supra declaratum est.

4. Secundò, solent hujusmodi media esse mala, sed diversæ speciei à malo, quod finaliter intenditur; ut furari gladium; vel scloppum ad occidendum: dico, hæc media omninò explicari debere, quia ipsa sunt nova, & peculiaria peccata, ut ex se patet, & ego memini, me dixisse aliquanto superius.

5. Tertio. Ejusmodi media solent esse mala ejusdem rationis cum malo finaliter intento: ut turpiter loqui, osculari, tangere ad finem turpis congressus: dico, hæc esse distinguendum, nam si principalis actus malus intentus non est subsecutus, vel intentio peccantis fuit sistere in illis actibus, ij sunt Confessori aperiendi, ut v. g. si turpiter puellam aspexisti, vel tetigisti, sed non processum est ad aliud; nam tunc, quia, ut supponimus, animum habuisti sistendi in illo tactu, vel aspectu; idèõ debes hos actus aperire; quia hi sunt propria peccata; ut etiam debes animum tuum, seu desiderium de illa, confiteri, si illud habuisti.

6. Verùm si animum habuisti procedendi ad turpem congressum, & simul statim, vel satis modico interjecto tempore de facto ad illum processisti; tunc probabile est, satis esse, dicere illum finalem actum, sic: *turpiter con-*

*gressus sum cum soluta v. g.* Ratio hujus probabilis est, quia tunc ij præcedentes, & quasi preparatorij actus satis explicantur, & à Confessario ex modo ordinario peccandi satis intelliguntur, intellecto sine jam obtento. Nec solum præcedentes similes actus, sed etiam statim consequentes, si non ordinentur ad aliam copulam, satis modo dicto explicantur, quia ob eandem rationem sunt modi ordinarij peccandi.

Dixi autem (statim processisti, & statim consequentes) si enim notabile interjaceat tempus, cum tunc essent distinctæ actiones, & non in eodem calore patratæ, speciatim essent confitendæ eo modo, quo docuimus *cap. 14. n. 27.*

*An prædicta mala media ad prævium finem possint separatim confiteri?*

1. **S**I quis in secundo genere mediorum peccaret, furaretur v. g. ut occideret, vel ut adulteraret, bene se, suumque peccatum explicaret, si sic diceret separatim: *Confiteor me furatum esse, & postea: Confiteor me occidisse.*

8. Respondeo, in eadem Confessione nequaquam benè se explicaret, quia Confessarius sic intelligeret, reddito peccata commississe, cum solum committeris unum cum duplici malitia in specie morali: at si per inculpatam oblivionem solum confessus es furtum v. g. potes in secunda confessione separatim fateri homicidium, si illud explicari poterit sine mentione furti (ut

certe

certè in hoc exemplo furti, & homicidii, & similium potest, quod non potest in casu mox dicendo n. 11.) Ratio est, quia secus obligaretis iterum tuum peccatum ritè absolutam confiteri, ita de Lugo disp. 19. de Pœn. à num. 652. apud quem id latius lege.

9. Quod dictum est, intelligine etiam debet (ut id hac occasione non omitam) quando in eodem indivisibiliter actu adest duplex specie malitia? Si quis v.g. habens votum castitatis, contra castitatem peccet, cum duas malitias specie diversas contrahat, nempe fornicationis v. g. & fractionis voti, hoc est, contra virtutem castitatis, & contra virtutem Religionis, potestne separatim has malitias confiteri?

10. Quid secundò, quando in eodem actu est duplex numero malitia, ut si quis uno ictu occidat duos homines, potest ne dicere: *Occidi hominem*, & deinde, *hominem occidi*: Peccavi contra votum, & deinde, *peccavi per fornicationem contra castitatem*.

Respondeo, non posse in prima Confessione: posse in secunda, si bona fide processum fuit, & sic explicari malitia in secunda Confessione potest; atque hæc propter rationes modò num. 8. allatas,

11. Est enim diligenter advertendum in his casibus, & in prædictis n. 8. alijsque similibus intelligi, quando in secunda Confessione declarari potest una malitia sine mentione alterius, ut potuit in casu dicto dictis num. 7. & 8. & etiam in casibus dictis num. 9. & 10. At si in prima Confessione (quamvis bona fide) dixisti, te puellam viola-

Tambur. de Præcept. Eccles.

se, quam tamen tu violaveras violenter, non fatis in secunda Confessione explicares tuum peccatum, si diceres: *ego fui violentus in quandam personam*; nam fuisse violentum in personam aliquam, cum potuisset esse, vel circa honorem, vel circa personam, vel circum familiarem, non explicares turpem congressum factum cum violentia, qui constituit propriam speciem stupri; & idèd tunc, & in similibus non separatim, sed simul est Confessori in secunda Confessione declaranda, quando per accidens erit, quod bis ob necessitatem explicandi tuum peccatum, idem Confessioni subdatur.

CAPUT XIX.

De peccatis ex ignorantia, vel ex conscientia erronea.

1. **S**I cum culpa mortali non vis scire, hoc esse peccatum, non vis v. g. scire hodie esse diem festum, & cum possis inquirere, non inquiris, & sic illum non servas, peccas mortaliter per ignorantiam, quam vincibilem, seu culpabilem appellamus; si verò probè sciens esse festum, adhuc illum non servas, peccas item mortaliter, ut ex se constat.

2. Quæro jam, an in utroque hoc casu sufficienter sic consistearis; *Missæ non interfui die festivo?*

Respondeo. Sufficienter, sive enim culpabiliter ignarus, sive sciens Missam omitas, semper contra cultum DEI ab Ecclesia præceptum peccas;

R unde

in bibl. m.

LIBRARIUM  
in  
Eccles. præcept.  
VARRI  
de  
E II  
306b



unde utraque est eadem species peccati contra Religionem : hinc si occidisti hominem putans culpabiliter esse *feram*, vel eundem occidisti cognoscens, esse hominem, potes sic fateri : *occidi hominem*, & sic in similibus.

3. Non dissimili modo, si Titius v. g. putat, aliquod esse peccatum, quod certè peccatum non est (quo pacto dicitur habere conscientiam erroneam) & illud committit, contrahit speciem peccati, quam putat : quare si putat, hodie esse vigiliam, illamque nihilominus non servat, peccat mortaliter ex conscientia erronea. Pari modò si Cajus v. g. scit hodie esse vigiliam, quæ re ipsa est, illamque non servat, certè, ut ex se patet, peccat mortaliter contra præceptum à se cognitum ; sed dice, utrumque tum Titium, tum Cajum sic legitime confiteri posse ; *Violavi præceptum Jejunij, seu in vigilia de præcepto non jejunavi*. Ratio est jam insinuata, quia peccatum, quod existimatur tale, & peccatum, quod est tale, non differunt specie morali, cum ex intentione operantis voluntas feratur in idem objectum.

4. Est tamen notandum, in tribus casibus ignorantiam, vel conscientiam erroneam esse declarandam.

Primò, quando videndum est, an ob ignorantiam ponatur quis in proximo periculo peccandi : ut si quis copuletur v. g. *fœminæ* nolens scire, vel scire culpabiliter nolit, an ea uxorata sit, an monialis &c. quia tunc ponit se in periculo committendi adulterium, vel sacrilegium &c.

Secundò, quando cognosci debet, an peccatum sit excommunicatione, vel censura, vel reservatione affectum ; hæc siquidem sunt compositæ delictis, quæ in se talia sunt : quare si tu putans, Petrum esse clericum, cum ipse clericus non sit, peccasti quidem, si illum, suadente diabolo, percussisti, sed tamen in excommunicationem non incidisti.

5. Tertio, aperienda est conscientia erronea, quando Confessor cognoscere debet tuum ipsum peccatum : si enim tu puer putans esse hodie diem jejunij, non jejunasti, fatearis autem hoc modo : *Jejunium in die vigilia non servavi* Confessor, qui te puerum esse videt, judicabit, te non peccasse, quia puer ad jejunium ab Ecclesia non obligatur : dicas igitur in hunc ferè modum : *Cum putassem, me obligatum ad servandam vigiliam, illam tamen non observavi*.

## CAPUT XX.

### Secreta.

1. **Q**uod Confessio secreta esse debet ex parte Confessoris, res est nota nimis, & infra suo loco magis explicabitur : An autem ex parte pœnitentis obligetur hic Confessionem suam secretè apud Confessarium deponere, diximus supra satis *cap. 4. à numer. 14.* cum loqueremur de Confessione per interpretem,

CA.



## CAPUT XXI.

*Lacrymabilis, accelerata.*

1. **I**D quod pertinet ad qualitatem (lacrymabilis) explicatum est cum de dolore actum est suo loco.

Quod pertinet ad Confessionem (acceleratam) dico non esse obligationem statim confugiendi ad Confessionem, ut primùm tu mortaliter peccasti: neque enim novum peccatum committit, qui suam Confessionem differt ad tempus obligationis Ecclesie, vel sumptionis Eucharistie, vel periculi mortis: sed quia est salubre consilium, statim sine mora revertendi ad DEI amicitiam, ideo acceleratio hæc maximè commendatur.

## CAPUT XXII.

*Fortis, & accusans, ubi de occasione proxima, & de recidivo.*

1. **I**llud (Fortis) ostendit, pœnitentem debere fateri difficultates omnes, ut peccata confiteatur, ut occasiones proximas deserat, ut à recidivo se compescat; circa quæ lege duo documenta, quæ infra dabo cap. 26. num. 11. & 12.

Denique illud (Accusans) ostendit, pœnitentem, utpotè reum coram Domino, accusare sua peccata debere cum sinceritate, non autem excusare: dico (cum sinceritate) æquè enim quis erraret, si se supra quàm commisit, accusaret, id quod iterum me monuisse, recorder.

## CAPUT XXIII.

*Sit parère paratus; ubi, an Pœnitentiam à Confessario impositam, vel imponendam Pœnitens subire debeat?*

1. **P**œnitens debet esse paratus, es facere, quæ prudens Confessarius ipsi peragenda imponit; imponere autem solet. Primò aliqua in medicinam v. gr. ne in domum talis puellæ ingrediatur: ut jejuset ad edomandam concupiscentiam, atque hæc appellatur pœnitentia medicinalis: Secundò, explicare solet obligationem, quam habet pœnitens v. g. ad restituendum, ad officium suum exequendum, & hæc vocatur pœnitentia ex se obligatoria: Tertio, imponere solet aliqua bona opera in satisfactionem pœnæ ob suas culpas debita, ut largiri eleemosynam, orare, se flagellare, jejunare &c. & hæc propriè appellatur satisfactio, quæ est pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ: de his igitur habet sequentia,

2. Posito, quòd Confessarius tibi pœnitentiam imponit, tunc eam acceptare, & adimplere omninò in praxi debes: omittenda enim hæc potius speculativa illa quæstio; quàm practica, an in omni rigore possit illam pœnitens non acceptare, paratus eam in purgatorio solvere: lege de Lugo, Castropalaum, aliosque citatos à Verricelli de Missionibus tract. 9. quæst. 144. dub. 8. 3. §.

3. Quod si quæras, sub qua obligatione adimplenda sit? Respondeo: Medicinalem, & obligatoriam adimplen-

R 2

plen-

plendam esse sub gravi, vel levi obligatione juxta levitatem, vel gravitatem operis impositi: an pœnitentiam datam in satisfactionem, sub qua obligatione debeas? Est distinguendum: nam vel primo pœnitentia est levis, aut si est gravis, imponitur utraque pro lœis venialibus, vel mortalibus aliàs ritè absolutis: vel secundo est levis, sed data pro peccatis gravibus: vel tertio est gravis, & data pro gravibus, sed Confessor se explicat illam injungere sine gravi obligatione: & dico in his tribus casibus probabile esse, te, si illam non adimpleas, non peccare mortaliter, esto contrarium sit etiam probabile, ut legere poteris apud Dianam p. 3. tr. 4. ref. 136.

4. Quando autem pœnitentia gravis est, deque gravibus absolutè injuncta est, debes omnino in praxi eam, adimplere, & quidem quàm primùm non incommode potes: sicuti docere de voto solemus, cum aliqua nimirum morali dilatione, dummodo nimia non sit dilatio, ut per illam minuatur ipsa pœnitentia, sicut minueretur ipsa impletio ingressus in religionem, si tardiùs ille fieret. Aliqui nimis laxè ad unum annum differri posse pœnitentiæ impletionem putant, perinde ac potest ipsa peccatorum Confessio ad annum differri, nisi Evcharistiæ sumptio, vel mors imminens urgeat. Lege p. 11. tr. 7. ref. 10. & tr. 8. ref. 26.

5. Posse te sine peccato pœnitentiam implere in statu peccati mortalis, fatemur omnes, ut videri potest apud de Lugo disp. 20. de pœnit. sect. 6.

6. Licet probabile sit, pœnitentem non posse sibi in æquale, nec in melius commutare pœnitentiam (quamvis sibi possit, ex probabilissima opinione vovens sibi commutare votum, saltem non reservatum in æquale, vel in melius) quia pœnitentia est inflicta à Confessario, tanquam Judice, estque pars integralis Sacramenti: quale non est votum: oppositum tamen probabile etiam judico cum Diana tr. 7. resol. 3. & tr. 8. resol. 26. quia nimirum DEUS illam commutationem (maximè si sit in melius, acceptare præsumendus est.

7. Probabile item est, Confessarium sive eundem, qui pœnitentiam injunxit; sive alium posse, modo tamen mox explicando, pœnitentiam commutare, vel diminuire.

8. Et idem quidem Confessarius ex rationabili suo arbitrio, alius autem ex aliqua majore, ac justa causa (qualis certè esset, si pœnitens diceret, non posse, seu difficulter posse illam pœnitentiam implere) commutare, valet: quando autem commutatio fit ab eodem Confessario, non est necesse, ut hæc commutatio fiat in Confessione, & ut audiantur peccata, pro quibus talis pœnitentia injuncta fuit. Lege Dianam ref. 3. cit.

9. At si commutatio expedienda sit ab alio Confessario, quamvis opus non sit audire illa peccata, pro quibus data fuit illa pœnitentia, cum satis sit, cognoscere ipsam pœnitentiam impositam; opus tamen est, ut fiat intra confessionem: ratio est, quia Sacerdos non habet potestatem in hoc tribunali, nisi

nisi quando administrat Sacramentum Pœnitentiæ: cum verò commutatio, quæ nunc fit ab eodem Confessario, pertineat ad complementum prioris factæ confessionis; ideo censetur fieri in confessione; & sic non est necesse, ut dictum est, fieri in actuali confessione, cum satis sit, si fiat in ejus complemento. At quia hoc complementum non est in alio Confessario, ideo debet is commutationem expeditare in actuali, seu præfenti confessione, secus eam non expeditaret in administratione Sacramenti.

10. Pertinet ad Pœnitentiam imponendam id, quod habet Candidus *disp. 24. de Confess. art. 31. dub. 19.* his verbis: Nunquam Sacerdos errabit imponendo pœnitentibus remissiores, & leviores pœnitentias attenda eorum impotentia, vel fragilitate, vel debilitate corporis, vel animi, spiritusque languore, & torpore; tum quia Sacerdotes semper debent in mitiores partes inclinare, & condescendere pœnitentibus, nam in hoc minùs periculi est, quàm si gravioribus pœnitentiis hominem deterreant, vel in desperationem inducant; tum quia Sacerdos tolet imponere in satisfactionem pœnitentis generatim omnia opera pœnalia, quæ idem pœnitens facturus est, per illa verba (quidquid boni feceris, & mali patienter sustinueris &c.) hac ille. Atque hoc postremè dictum notat etiam Diana *p. 11. 7. ref. & tract. 8. ref. 26.* Advertit autem de Lugo *disp. 25. de pœnit. num. 60.* monendum esse pœnitentem de levitate pœnitentiæ, ut

scilicet ex se suppleat, & non putet, se minùs graviter peccasse.

11. Dices: at *Concil. Trid. sess. 14. cap. 8.* ait, cavere debere Sacerdotes, ne, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.

12. Respondeo, at idem Tridentinum paulò ante ibidem sic dicit: debent ergo Sacerdotes Domini quantum spiritus, & prudentia suggesterit pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutare, & convenientes satisfactiones injungere. Hæc Concilium: nota illud (*& prudentia*) & illud (*salutares, & convenientes*) nam inde colliges prædictam doctrinam Candidi, Tridentino non adversari.

Huc denique facit id, quod his verbis docet, *Quintanaduennas, tomo 2. singularium.* Quando, inquit, pœnitens est ita morti proximus, ut nihil percipiat; non injungetur pœnitentia: item quando scrupulosus, vel timoratus, semel, ac iterum in eadem hora accedit post confessionem factam, aliquid novi semper confitendo potest Confessarius injungere pœnitentiam, jam alias, vel primò injunctam, si nondum sit impleta, *ita* *Fagund. Bonac. de Lugo.*

13. Immo si quis confiteatur duo vel tria peccata mortalia oblita in confessione, si pœnitentia injuncta talis sit, ut Confessarius graviolem, quam imposuerat, non imposuisset, possit aliam pœnitentiam non addere. Hæc *Quintanaduennas.*

*Excusationes Pœnitentiam non  
adimplendi.*

14. **E**Xcusabitur primò pœnitens à solvenda pœnitentia, quoties illa arbitrio prudentis esset irrationabilis, & immoderata. Secundò quoties fieret impossibilis, vel valde difficilis, ut ob supervenientem morbum: advertite tamen, si solùm esset differenda, te non excusari, sed implere debes, quando potes. Ut etiam si sit dividua, non excusaris ab implenda parte, ut, si pœnitentia fuisset de recitando Rosario, & de flagellatione, si infirmitas te excusabit à gravi flagellatione, non excusabit à Rosario: immò potest contingere, ut ejusmodi infirmitas non sit tanta, quæ te excuset à flagellatione, quam levem fortasse Confessor imposuit.

15. Tertiò, quoties supervenit strictius præceptum, ut si deberes hodie inservire Hospitali, & superveniret morbus gravis tuo patri, cui deberes assistere: tunc enim excusaberis à servitio Hospitalis, nec deberis postea, si pœnitentia expressè fuit addicta huic diei, sed certè pœnitentia injuncta à Confessario non solet addici præfixo tempori; quare etiam si dicat Confessor (*Jejuna cras*) si cras non potes, deberis postea, nisi expressè aliud explicet Confessor.

16. Quartò, quoties sine tua culpa oblivisceris pœnitentiæ, nec illam rescire à tuo Confessore potes; quia, fortè absens est, in quo casu non obligatis alia opera subrogare, nec pœnitentiæ omissionem confiteri, si fortè

oblivio sine culpa fuit; tunc nequam peccasti: nam si cum culpa, certè hujusmodi culpam opus esse apud Confessarium deponere, nimis est manifestum.

Quintò excusatur acquisitio indulgentiæ eo modo, quem jam subdo.

*An excuset ab implenda Pœnitentia Indulgentia plenaria  
Acquisita?*

17. **Q**uoties quis lucratur indulgentiam plenariam, liberatur ab obligatione implendi pœnitentiam, ita de Lugo cum innumeris d. 27. de Pan. à num. 22. Ratio ( præter Bonifacij VIII. auctoritatem, qui volebat Confessarios imponere pœnitentias ijs, qui Jubilæum Anni Sancti lucrabantur ) est, quia pœnitentia imponitur ad satisfaciendum pro peccatis; si ergo per indulgentiam utique plenariam tollitur debitum talis pœnæ, cessat fundamentum obligationis; Recolle autem, nos hîc loqui de pœnitentia, quæ non sit ex se obligatoria, vel in medicinam necessariam, quales essent restitutio, remotio ab occasione, &c.

18. Hinc, colligit primò idem de Lugo l. 7. tempore Jubilæi posse leviores pœnitentias imponi peccatori etiam magnis, & enormibus culpis gravato, obligando tamen eum ad lucrandum indulgentiam Jubilæi: id quod certè est levamen Confessorum, qui non rarò dubitant, quam pœnam possint ponere ingentibus peccatoribus, debet tamen id significari pœnitenti, ne is suorum peccatorum gravitatem

minimè expendat: id quod paulò ante etiam monuimus in simili.

19. Colligit idem secundo, Confessorem posse per impositionem factam penitenti, ut recipiat indulgentiam plenariam, ipsum sublevare à multis penitentiis, quibus fortè sit gravatus, & quas nondum solverit; & quia id non fit ex potestate Confessarij, ut fiebat in casibus modò dictis *num. 9.* sed ex potestate Pontificis indulgentiam concedentis, idèd potest fieri à quocunque Confessario, sive is imposuerit eas penitentiis, sive alius: immò propter eandem rationem, si penitens sit homo doctus, poterit ipse ex se.

Prudenter tamen advertit cum alijs de Lugo, consulendum semper esse, aliquam penitentiam injungere, tum ob meritum talis operis, tum quia propter varias causas indulgentiæ effectus impeditur aliquando: nam ceterum, si verè plenariam lucraretis, recurreret documentum Bonifacij octavi.

20. Colligit tertio, Quintan, *T. 2. singularium tract. 3. sing. 33.* ut penitenti non valde gravem Confessarius penitentiam imponat, posse ipsi applicare (si applicata non sit) indulgentiam plenariam pro vita semel in Bulla Cruciatæ concessam. Modus hanc applicandi dictus à me est *in tract. de hac Bulla cap. 12. §. 1. num. 1.* vel posse injungere, ut ex virtute ejusdem Bullæ visitet quinque Ecclesias, vel Altaria (*modo ibidem cap. 10. num. 1. à me dicto*) unde acquirat stationes Romanas, in quibus adest in unoquoque die indulgentia plenaria; vel posse injungere, ut visitet septem privilegiata

Altaria, ubi illa sunt ad indulgentiam plenariam acquirendam: indulgentias concessas, nymismatibus sacris, vel imaginibus, vel sacris quibusdam precibus, vel similibus: Quia tamen regulariter aliqua claudicant ex parte, vix huc adducor, nam incertæ propter varias causas sæpe judicantur: examinanda ergo semper erit indulgentia, an saltem sit probabiliter vera; & tunc ut habet ex Soto de Lugo *disp. 25. de Pœnit. num. 48.* satis illa erit ad omittendas penitentiis, cum probabilitas sufficiat, ut quis prudenter operetur, & consequenter ut judicet semper, illam indulgentiam completè iis satisfecisse.

De ijs, quæ pertinent ad Confessarium.

AD quinque capita hæc restringo; primò, ad jurisdictionem: Secundo, ad approbationem: Tertio, ad prudentiam: Quarto, ad scientiam: Quintò, ad auditorum in confessione silentium.

## CAPUT XXIV.

De Jurisdictione Confessarij.

I. Jurisdictio est potestas dicendi Jus, & proferendi sententiam absolvendo à delicto, vel imponendo penam: Jurisdictio ergo in nostro casu erit potestas data à legitimo Superiore alicui Sacerdoti, per quam tanquam in suos subditos dictus Sacerdos potest reducere in actum eam potestatem absolvendi à culpis, & penitentiis injungendi;

gendi, quam habet ex ordine Sacerdotij.

2. Quamvis autem ex solius Sacerdotij vi, Sacerdos possit reducere in actum potestatem absolvendi peccata venialia, & mortalia aliàs absoluta, ut alibi diximus; at ad absolvenda mortalia nondum absoluta, indiget facultate legitimi Superioris, qualis est summus Pontifex, vel Delegati ab ipso, ut sunt Episcopi, Prælatique respectu suorum subditorum,

3. Acquiret igitur Sacerdos hanc actualem jurisdictionem. Primò, per expressam concessionem sui Superioris, vel Episcopi, seu Prælati; Secundò tacitam, nempe per ratihabitionem de præterito, vel de præsentis, pro qua tot conditiones requiruntur, ut in praxi, nisi aliud expressiùs addatur, nunquam illam sequaris. Lege Fagundez præcept. Eccles. 2. lib. 7. cap. 2. Ratihabitionem de futuro sufficientem non esse, docemus omnes. Tertio per errorem communem, & titulum coloratum acquiritur etiam hæc jurisdictio. Ut si quis Sacerdos habeat patentes Confessionis dolo extortas, & communiter à populo existimetur, & habeatur pro Confessario, ut latè disputat Sanchez lib. 3. matr. disp. 22. & Sanchez quidem ibidem num. 4. cum alijs requirit ad requirendam ejusmodi potestatem jurisdictionis tum titulum coloratum, tum errorem communem; at Pontius lib. 5. matr. c. 20. n. 6. alijsque satis probabiliter ajunt, sufficere solum errorem communem.

4. Adverte autem, peccare graviter Sacerdotem utentem tali potesta-

te, quam scit verè se non habere, licet Confessiones sint validæ; quia Ecclesia præsumitur, illam conferre ob bonum pœnitentium ad imitationem legum civilium l. Barbaricus ff. de officio Prætoris; non ad excusandum Confessarium. His positis ad sunt duæ practicæ quæstiones.

*Acquisitio Jurisdictionis ex sententia probabilis.*

5. **Q**Varitur enim primò, an sicuti ex titulo colorato, errorque communi acquirit Sacerdos jurisdictionem dictam; ita ex opinione probabilis? Titius v. g. Sacerdos ex rationibus probabilibus colligit, se habere Jurisdictionem (ut item approbationem illam, de qua mox) ad ministrandum pœnitentiæ Sacramentum, validè administrabit, & licitè, quasi sic habeat necessariam facultatem ad illud ministrandum?

6. Respondeo. Negant Joann. Sanchez, alijsque plures d. 44. num. 3. Ratio est, quia, ajunt, in jure non invenitur, tradi jurisdictionem ex opinione probabilis, sicuti invenitur tradi ex titulo colorato, errorque communi: Adde, non posse duci paritatem à titulo, & errore ad probabilitatem, quia error communis est apud multos, at opinio probabilis est solum apud paucos sapientes.

7. Concedunt nihilominus, & quidem meritò Thom. Sanchez lib. 3. de matr. d. 22. n. 65. & in summa lib. 1. cap. 9. n. n. 35. alijsque plures; Ratio hujus sententiæ est, quia constat apud omnes, universalem Ecclesiæ con-

suc-

potestatem conferre jurisdictionem, seu esse signum jurisdictionis collata: sed omnes ferè Sacerdotes consuetudinem habent (ut testatur de Lugo *dub. 19. de Pœnit. n. 35.*) absolvendi, seu administrandi hoc Sacramentum cum opinione probabili suæ jurisdictionis, ergo, &c.

Neque obstat ratio prioris sententiæ, quia nostra non fundatur immediate in aliquo jure scripto, sed innititur consuetudini universali, quæ juri æquivalet.

8. Hinc rectè Castropalaus *l. 1. n. 1. p. 5. n. 9.* sic habet: *Quando adest probabilis opinio absolvendi a reservatis, & a censuris, & assistendi matrimonio; nullo morali periculo se exponit minister irriticum faciendi Sacramentum, quia licet ex privilegio jurisdictionem non habeat, habet tamen ex tacito consensu Ecclesie, & ratificatione de præsentis suppletis jurisdictionem, ne tot alius irriti sint.*

*Duratio jurisdictionis, ut etiam approbationis.*

9. Queritur secundò, quandiu duret jurisdic-tio (ut item approbatio) collata Sacerdoti ad absolvendum?

10. Respondeo. Tribus modis potest tibi ab ordinario, seu à legitimo Superiore delegari, seu concedi potestas absolvendi. Primò absolute: Secundò, ad certum tempus: Tertio ad tempus incertum.

Si primo modo concedatur, durabit donec legitimè revocabitur, & quidem posito actu revocationis: undè mor-  
*Tambur. de Præcept. Eccles.*

tuo, vel amoto concedente, adhuc illa perleverat, donec successor positivè revocet, quia est gratia facta.

11. Si secundo modo, durabit usque ad tempus, seu terminum præcisè designatum, nisi antea revocetur.

12. Denique si tertio modo se habet ejusmodi concessio ad tempus incertum, duplici modo fieret solet.

Primò, per has formulas: (*do tibi facultatem absolvendi, donec revocavero, vel donec aliud ordinavero, vel usque ad aliud*): Dico, nisi Superior per voluntatem positivam removeat, seu revocet talem concessionem, semper illam perleveraturam, etiam post mortem concedentis, vel post amotionem ejus ab officio, nisi à successore revocetur: Ratio est, quia ut expiret talis concessio, debet poni illud (aliud) seu illud (*revocavero*) quod jam nunc supponimus, non poni.

13. Secundò potest fieri hæc concessio per has formulas (*do tibi facultatem absolvendi, donec voluero, vel mihi placuerit, vel ad meum beneplacitum*) dico de his, duas esse sententias; Thomas Sanchez cum alijs *l. 8. mar. d. 28. num. 52.* docet concessionem factam expirare morte, vel amotione concedentis; quia, inquit, per has formulas deberet adesse volitio, seu placitum concedentis, at post mortem non adest; post mortem enim, nec volitio est, nec placitum, nec beneplacitum.

14. Nihilominus Caspar Hurtadus *l. de Pœnitent. diff. 4.* & alij ajunt, neque per has formulas posteriores expirare concessionem, sicuti non expirant per

S

per

in bibl. ...

LIBRUM  
IN  
ECCLESIE PRÆCEPTIS  
VARIIS  
DE  
HABITUS AUSTRIACIS  
E II  
306

per priores, donec à successore revocentur. Ratio est, quia concedo, debere adesse per has formulas volitionem, & beneplacitum, at jam adest, seu continuatur; eo ipso enim, quod non revocatur ejusmodi voluntas, factis manet habitualiter, & morali, humanoque modo: nam dum non revoco voluntatem aliquid faciendi, certè in illa adhuc persisto; & sicuti voluntas Testatoris, quia iussit aliquid faciendum, remanet moraliter post mortem; ita proportionaliter in casu nostro.

15. Quæres, in tempore Jubilæi, vel Bullæ Cruciatæ, facultas absolvendi durat usque ad finem temporis in illis assignati: jam quid faciendum in casu, quo pœnitens non potuit complere confessionem in tempore assignato.

Respondeo de hoc argumento satis dixi in tractatu de Bulla Cruciatæ c. 4. §. 4. à n. 3. & legi potest de Lugo disp. 29. de Pœnit. n. 24.

## CAPUT XXV.

### De approbatione.

1. SACERDOS, ut sit idoneus ad Sacramentum Pœnitentiæ administrandum præter statum gratiæ, in quo esse debet, uti etiam præter carentiam excommunicationis, suspensionis, & interdicti personalis, & præter jurisdictionem, de qua dictum est in cap. præcedente, præter hæc, inquam, opus est, ut sit approbatus, id quod jam explico,

2. Approbatio est testimonium, seu sententia Prælati, non solum de doctrinæ sufficientia, verum etiam de integritate morum, prudentia cæterisque conditionibus ad confessiones dignè expediendas; nam propterea, etiam si quis sit doctus, vel magister, omni doctrina præditus, indiget hac approbatione, quia etiam notoriè sapientissimus claudicare potest in moribus.

3. Hæc autem approbatio solet à Prælati concedi simul cum jurisdictione, quando hi concedunt facultatem administrandi hoc Sacramentum; ea denique jurisdictio conceditur aliquando à summo Pontifice, ut conceditur Religiosis, mediante ipsorum superiore; at approbatio omninò debet semper ab Ordinario loci experiri, sic enim injungitur à Trident. sess. 23. cap. 15. *De reviv. S. Synodus, nullum etiam regularem posse confessiones secularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium obtineat, aut ab Episcopo per examen (si illis videbitur esse necessarium) aut alias idoneus judicetur, & approbationem, que gratis detur obtineat privilegio, & consuetudine quacunque etiam immemorabili non obstantibus.*

In quo decreto sunt aliqua pro praxi breviter adnotanda.

4. Primò, in illis verbis (*Confessiones secularium*) Concilium loquitur de audituris confessiones secularium, non verò de audituris confessiones Religiosorum; quare Religiosi, etiam Novitij poterunt ab illis Sacerdotibus idoneis absolvi, quos ipsorum

Præ



Prælati ipsi destinaverint; inter sæculares hodie numeramur eorum Religiosorum, ut item proxime ingressuros in Religionem, utriusque enim sunt sæculares.

5. Dixi (hodie) quia Urbanus VII. in Const. qua incipit (*cum se cur accepimus*) revocavit omnia privilegia Religiosorum, per quæ olim poterant audire confessiones suorum famulorum secularium sine dicta approbatione.

6. Secundò, in iisdem verbis notatur, quòd moniales subditæ Episcopis debeant non alios Confessarios habere, nisi à suo Episcopo approbatos; sed de exemptis ab Episcopo, quæ scilicet sunt subditæ Prælati Religiosorum exemptorum, olim quæstio versabatur: at verò hodie jam statutum est à Gregorio XV. in Const. qua incipit (*inscrutabile*) has non alios, quàm ab Episcopo pro ipsis specialiter approbatos habere posse in Confessarios: quare Sacerdos approbatus pro sæcularibus, vel approbatus etiam pro mulieribus non intelligitur approbatus pro monialibus, immò approbatus pro uno Monasterio, non intelligitur approbatus pro alio, ut etiam pro una vice, non pro vicibus alijs, nec pro una moniali intelligitur pro alijs. Lege Doctores apud Averla q. 16. de Pœnit. sect. 7.

7. Tertiò in ijs verbis (*aut Parochiale beneficium obtineat*) significatur tunc Parochum posse Confessionem suarum ovium expedire, quando incepit possidere parochiam, non autem antea, nec postquam fortè parochiam amisit.

8. Quartò, illud (*ab Episcopo*) notat, approbationem, quæ conceditur conjuncta cum delegatione jurisdictionis, qualem dat Episcopus Sacerdotibus, debere concedi à proprio pœnitentis Ordinario, (qui quidem est idem Episcopus, vel Vicarius Generalis, Sede vacante &c.) at quando datur ab Episcopo, seu Ordinario sola approbatio, quæ solet dari Religiosis exemptis, à quonam ordinario dari debeat? Ab Ordinario Pœnitentis, an etiam à quocunque alio alterius Diocesis? Vulgata satis est quæstio.

9. Respondeo. Ab Ordinario, cujus sunt illæ; quæ sunt absolvendæ, hoc est, ab Ordinario pœnitentis, ut colligitur ex allato Tridentini Decreto, addita intentione Patrum dicti Concilij, qui tantum munus voluerunt, ut non delegaretur ab alijs, nisi ab Episcopo, cui cura tuorum ovium incumbet: quamvis ergo illud (*ab Episcopo*) possit quis intelligere, satis esse, ut semel ab uno ex Episcopis totius mundi approbaretur Religiosus, ita ut semel approbatus, semper, & ubique approbatus sit; tamen id post Trid. non est saltem in praxi ullo modo admittendum. Lege Alcanium Tamburinum tom. 2. disp. 16. q. 14.

10. Pro Confessore electo per Bullam Cruciatæ, cujus Ordinarij approbatio sufficiat, latè diximus in tract. de eadem Bulla c. 11. §. 1.

11. Inquires, si sim dubius negativè de licentia mihi data ab Episcopo: possumne illa uti?

Respondeo. Nequaquam: in dubijs enim prævalet id, quod est prius.

at prius est, te carere licentia, & postea illam possidere: non ita, si probabilitatem de illa habeas; tunc enim illa uti legitimè vales; quia alibi diximus, quando est probabile, te gaudere jurisdictione, Ecclesiam certò tibi illam conferre.

12. Quamdiu durat prædicta approbatio à te obtenta, nuper dixi c. 24. à n. 9. sed quia ibi inter alia diximus, dictam approbationem durare, donec revocetur; inquiris, an Episcopus approbationem semel Sacerdoti absolute concessam possit suo arbitrio, & ex nulla causa revocare? Vel si data est ad certum tempus, an possit illam restringere.


Respondeo, & quidem priùs sciendum est, jurisdictionem (cum ea detur per delegationem) pendere in esse, & conservari à delegante; quare si hic sine causa revocat, validè revocat; at approbatio, cum non sit, nisi iudicium approbantis de idoneitate; ideò semel datà, statim acquirit jus approbatus; jus autem acquisitum non potest sine causa tolli. Hinc igitur collige, si à Sacerdote approbato, sine causa approbatio revocaretur, injustè, atque adeò revocaretur invalidè.

13. Illud tamen est maximè notandum, sæcularem Sacerdotem, à quo invalidè revocata sit approbatio, non esse legitimum Confessarium, quia ad id requiritur tum jurisdicctio, tum approbatio, sed jam ab Episcopo tollitur validè jurisdicctio, quæ ab ipso pendet; ergo &c.

14. Pro Sacerdote Religionis exemptæ adest decretum summi Pontificis, in quo prohibetur, ne Episcopi Confessarios regulares aliàs liberè ab ipsis approbatos, ab audiendis confessionibus suspendere queant sine causa, & nec simul omnes unius Conventus. Legi id potest apud Barbosam de *Potestate Episcopi Allegatione* 2. 5. n. 30.

15. Quintò; illud (quod grati detur) notat, ne pro ejusmodi approbationibus obtinendis aliqua pecunia detur: & tamen si detur quamvis illicitè (de qua lege Dianam p. 5. tract. 12. ref. 70. non invalidatur concessio approbationis, quia in hac prohibitione, de qua loquimur, nulla est clausula irritans concessionem, pro qua detur pecunia: abstrahendo à Simonia, de qua alibi.

16. Sextò denique, illud (privilegiis, vel consuetudine non obstantibus) notat duo; Primò revocari consuetudinem illam olim introductam, qua Sacerdos sæcularis validè absolvebat alium Sacerdotem sæcularem sine prædicta Episcopi approbatione; quod latè disputatum invenitur apud Joannem Sanchez d. 48. n. 7. & Dianam p. 11. 11. 2. ref. 11. & alibi. Secundò notat revocari privilegia multa Regularium, quorum virtute Religiosi absolvebant sæculares sine approbatione Episcopi, quod latè disputatum invenies apud eundem Joann. Sanchez *ibidem*, & Dianam p. 11. tract. 2. ref. 11. & alibi.



## CAPUT XXVI.

## De Prudentia Confessarii in ordine ad ipsosmet.

1. **P**rima pars prudentiæ Confessarii est in ordine ad seipsum, ut scilicet non administret hoc Sacramentum in statu peccati mortalis, ne scilicet ipse mortaliter peccet, indignè Sacramenta tractando: ut distinctius alibi explicuimus: si verò prudenter sibi persuadebit, esse in statu gratiæ, vel quia non est sibi conscius peccati mortalis, vel si illius sit conscius, tamen sive per contritionem bona fide exillimaram, sive per Confessionem Sacramentalem legitimè ab ipso positam, gratiam recuperavit, tutò Confessiones fidelium excipiat; de excommunicato dicemus satis infra, cum agemus de Communione c. 16. an. 33.

2. **Q**uæres, si Confessarius peccator eliciat actum contritionis, non ante actum audiendi peccata pœnitentis, nec ante impositionem pœnitentiæ, sed ante absolutionem sufficienter erit dispositus?

Respondeo. Sufficenter, de qua re supra diximus in simili c. 2. n. 19.

3. **Q**uæres iterum; quid si idem peccator Confessarius vocetur ad proximè moriturum, nec possit in illa temporis angustia se contere?

Respondeo. Absolvat sine timore; quia in illa necessitate Deus non imputabit illi ad peccatum, velle proximo in ea tam gravi necessitate salutem animæ conferre, de Lugo l. *supra* tit. d. 8. de Sacr. n. 151.

## De Prudentia in ordine ad Pœnitentes.

4. **A**ltera pars prudentiæ est in ordine ad pœnitentes; & quidem prudenter se geret Confessarius.

Primò, si potius benignum Patrem se pœnitenti ostendat, quàm severum Judicem: id quod monent illi versus, quos ex Divo Thoma proponit Navarrus in *Enchiridio* c. 10. n. 2.

*Confessor dulcis, affabilis, atque suavis*

*Prudens, discretus, mitis, pius, atq; benignus.*

Caveat tamen, ne dum nimiam clementiam utitur, omittat illum, ut convenit, increpare.

5. **S**ecundò, prudenter se geret Confessarius, ne, dum aliquod grave, aut enorme peccatum audit, signa aliqua admirationis, vel horrois ostendat, aut aliqua perturbatione ipsum affici, advertat pœnitens; dissimulet ergo omnia usque ad finem Confessionis, ut dixi c. 13. n. 3. tunc increpet, si quid est increpandum, peccatorumque gravitatem explicet pœnitenti.

6. **T**ertiò, prudenter se geret Confessarius, si velit duorum potius confessiones audire bene, quàm perfunctoriè multorum, ut bene advertit Cajetanus V. confessio; id enim gratus Deo est, & ex contrario subit Confessarius periculum imponendi suis humeris peccata pœnitentium.

7. **Q**uartò, maximè prudentiam ostendat in examinando pœnitente, de quo omninò videatur, quod dixi c. 2. n. 2.

et in bibliot.

LIBRARIUM  
in  
Ecclesie Præcepto  
de  
E II  
306

n. 2. & 3. at videatur etiam monitio, quam pro peccatis turpibus dedi c. 17. à n. 14. addam tamen hic in proprio loco duo documenta ad prudentiam Confessoris in examinando pœnitente, quæ etiam sunt cum prudentia intelligenda, & debito sale condienda.

8. Primum est Merollæ *tom. 1. disp. 2. c. 7. n. 74. & 79.* si quis, inquit, confiteatur, se v. g. non audivisse Missam tali die festivo, non est necesse, ut interroget eum Confessarius, quoties proposuerit non audire, & postea, retractato priori proposito per actum contrarium, iterum habuerit voluntatem non audiendi: quia, quod homo postquam efficaciter primò proposuit aliquod committere, & postea retractavit propositum illud per actum contrarium, sed iterum statim redeat ad pristinam voluntatem, non ordinariè accidit; at idem non est mirum, si de hoc Confessarij pœnitentes interrogare non debent: non enim tenentur Confessarij interrogare pœnitentes de omnibus peccatis, quæ potuerint ab illis committi, eorùmque circumstantiis, sed de illis, quæ ordinariè contingere solent, spectata pœnitentis qualitate. Hæc Merolla.

9. Alterum est Pallavicini *p. 2. d. 9. art. 2.* quem refert Cottonius *l. 2. de Sacramentis controversia 7. num. 206.* Confessarius, inquit, in universum excusari potest ab onere interrogandi de circumstantiis, etiam mutantibus speciem: nam aut pœnitens in peccando advertit ad malitiam specificam, & tunc eam non interrogatus aperiet, recordatus nimirum in exami-

ne, quod non minori advertentia fieri solet, quàm peccata committi: vel non advertit, ac proinde peccatum, nec contraxit, nec explicare tenetur: quod si aliquando major ad peccandum malitia, majorque ad examinandum negligentia afferatur, non ob paucos hos eventus probabiles, imponi debet onus Confessariis universaliter, quorum onerosum est munus, & ingens numerus necessarius in Ecclesia Dei. Hæc ille. Idem explicat in Ebrío *Go. bat de Ebrietate c. 8. n. 41.*

10. Hic quæret timoratus aliquis; an teneatur Confessarius admonere pœnitentem, ut ad cognoscendum numerum suorum peccatorum aliquam diligentiam exteriorem præmittat? exemplis clarior fiet quæstio: Titius peccavit cum complice multoties, nec recordatur præcillum numerum furtorum v. gr. obligaturne convenire Cajam, complicem, potentem revocare in memoriam dictum numerum? Pari modo: Petrus toto anno ab uno Paschate ad aliud in nullo die festo audivit Sacrum; dubitat autem, quot fuerint hi dies festi: teneturne accipere Breviarium, illudque legendo numerare dies festos illius anni? Idem quæritur de similibus: Respondet Perez *tract. 3. de Sacr. & virtute Pœnitentia. in suo Opere Posthumo disp. 5. c. 4. n. 94. fol. 358.* non teneris; Primò, quia id inusitatum est; Secundò, quia in Trid. solùm exigitur exploratio latebrarum conscientia, diligens cogitatio, & præmeditatio, ipsamque explorationem latebrarum nomine præmeditationis, & cogitationis diligentis com-

pre-

prehendit. At quis non videat aliud esse cogitare, & præmeditari, seque hominem excutere, & explorare latebras suæ conscientiæ; aliud consultare amicum complicem, & legere Brevarium? Hæc Perez.

11. Denique prudentiâ opus est in removendo penitentem ab occasione proxima, ut item à recidivo, de quibus habet à Laym. *lib. 5. tract. 16. cap. 4. n. 9. & n. 10.* duo, quæ hic referibam: alterum circa occasionem, alterum circa recidivum.

Circa occasionem proximam, sanè proximas (ait dictus Layman) occasiones (quæ sunt illæ, sub quibus homines frequententer, aut facilè labitur) vitare obligamur: Excipe tamen, nisi proxima occasio peccandi mortaliter, sine gravi incommodo corporis, famæ, vel fortunarum tolli non possit. Tunc enim consilium est, sed non præceptum; quare absolviendi sunt, qui officio, negotiatione, domo, in qua peccandi periculum imminet, discedere sine maxima difficultate non possunt; parati tamen adhibere remedia peccatorum, præsertim quæ affert Confessorius; Ratio est, quia occasio peccandi in se non est peccatum; quare permitti potest ex gravi necessitate, quæ impossibilitatem affert moralem. Nam tunc non tam est se committere periculo, quam illud pati: Hæc Laym.

12. Circa recidivum sic habet idem Layman: qui est recidivus, abstrahendo ab occasione proxima, & scandalo (talis esset, qui sæpè se polluit sine occasione intrinseca, consultò assumpta, ut notat Joann. Sanchez *d. 10. num. 9.*)

si affert aliquod signum emendationis, esse semper absolvendum: signa autem emendationis sunt, vel rariùs peccare, vel aliquis verus dolor, immò & dolor ex vero animo conceptus, vel ipsum spontè confiteri in iis, qui non urgente præceptore, vel alio, vel consuetudine Congregationis v. gr. &c. tunc enim habebitur signum emendationis, secus non erit absolvendus.

12. Benignissimè autem de hoc loquitur Dicastillus apud Dianam *p. 11. tract. 5. ref. 30.* dicens: vix huic recidivo, præsciindendo ab occasione proxima, debere negari absolutionem, sed certè aliquando potest, nam (ut habet de Lugo *d. 14. de penit. n. 160.*) sæpissimè ex frequenti lapsu mortali colligi potest, non adesse verum dolorem, quia moraliter impossibile est; ut qui verè dolet, aliquantulum non se abstineat: quare ex hoc capite potest negari, vel differri absolutio.

## CAPUT XXVII.

### De Scientia Confessarij.

1. **C**um Confessarius exerceat munus Judicis, Magistri, & Medici erga penitentem, debet necessariò, aliquo saltem modo, esse peritus de iis, quæ ad ejusmodi munus pertineat.

Debet igitur primò scire, qua potestate absolvendi polleat: an circa viros, an circa mulieres; quæ peccata, quas excommunicationes absolvere valeat, quod est scire, quinam casus sint reservati, qui non item; quam dispositionem, dolorem propositum, mysterio;

MEVRINI  
in  
Ecclesiæ præcepto  
de  
VARRI  
de  
E II  
30.6.

teriorum fidei notitiam requirere debeat in penitente, ut is absolutione sit dignus: quænam peccata afferant obligationem restitutionis, quænam satisfactionis partis, quænam sint ex se peccata venialia, quæ mortalia, quæ circumstantiæ mutent speciem, quæ non.

Dixi (aliquo saltem modo) hæc enim ita aliquo modo cognoscere debet, ut de iis saltem dubitare possit, quo in casu dilata absolutione, poterit ex libris rem cognoscere, vel sine periculo fractionis sigilli, doctiores consulere, vel ipsum ad doctiores dimittere.

Quid si Confessarius hæc nesciat, valebitne confessio? Respondet Bossius de Jubileo sect. 3. casu 2. n. 168. alios citans ait, Confessarium, nisi sciat discrimen inter lepram, & lepram, id est, inter peccatum mortale, & veniale in casibus communiter occurrentibus, invalidè Confessiones excepturum. Sed nimis rigidè: nam hic peccabit quidem mortaliter, sed validè, si potestatem habet, Sacramentum conferet; quia ad Sacramentum validum sufficit ponere materiam, & formam cum intentione legitimi ministri; ad quam intentionem sufficit (& certè est necessarium) ut Confessarius noscat peccatum sub confusa ratione peccati: si enim id nesciat, non potest habere intentionem absolvendi peccata, atque adeo tunc non est mirum, irritam esse absolutionem: sanè quilibet Sacerdos etiam indoctus, validè absolvere potest infirmum in articulo mortis, (& quando alius non adsit, debet absolvere) ut omnes scimus; & tamen hic Sacerdos

non supponitur, nisi confuso modo rationem peccati hujus infirmi scire.

Ex his collige primò, peccatum mortaliter eum, qui de industria querit indoctum Confessarium: dico (de industria) nam cæterum semper præsumere debet, Confessarium, qui supponitur ab Ordinario approbatus, esse sufficienter peritum, nisi positive sibi oppositum constet:

Secundò, peccatum mortaliter Ordinarium, si approbet insufficientes; excipe illum casum, si scilicet in Pagis, vel in villis non possunt adesse Confessarii sufficientes; nam tunc melius est adesse Confessarium indoctum, quam nullum; Episcopi certè huic malo omnibus viribus consulere debent.

Tertiò, peccatum item mortaliter ipsum Confessarium, si, se insufficientem noscens, extorquet licentiam excipiendi Confessiones; quia sic se committit periculo evidenti malæ administrationis Sacramenti Pœnitentiæ: ne tamen timoratus Sacerdos dubitet, exercere officium Confessarii, si viri docti ipsum idoneum judicant, vel si se examinandum obtulit, & fuit approbatus à peritis examinadoribus, tunc enim non temerè, sed prudenter officium exercebit.

Pertinet etiam ad actualem scientiam necessariam Confessarii cognoscere gravitatem, levitatemque peccatorum, quæ audit, non tamen semper obligatur, ferre iudicium, an illa sint mortalia, an venialia: non rarò enim evenit, ut fatente penitente suum peccatum, sicuti commissum fuit, sive ipse idem penitens, sive ipse Confessor,

set, quamvis doctissimus, non possint determinatè decernere, an peccatum fuerit leve, vel grave, an v. gr. in eo esset, vel absit plena advertentia ad turpem cogitationem, & similia: tunc ergo Confessor, qui jam, ut diximus, satis scit, quæ communiter sint venialia, quæ mortalia, poterit pœnitentiam proportionatam imponere, necessaria injungere remedia, & absolvere.

Quòd si deinde, peracta confessione, advertat pœnitens, peccatum expositum fuisse mortale, non sit sollicitus, iterum illud confiteri, si fideliter suam actionem enarravit, & Confessor habebat potestatem illud absolventi; si verò hanc potestatem non habebat, vel infideliter aliquid actum sit, lege, quid faciendum sit apud de Lugo de Pœnit. d. 22. n. 75. § 5. disc. 2. & in nostra methodo Confessionis l. 3. c. 8.

## CAPUT XXVII.

De Silentio auditorum, hoc est, de Sigillo Confessionis.

1. Ad eò rigorosa est obligatio tacendi ea, quæ Confessarius audit in Confessione, ut in nullo prorsus casu, etiam ob justam suæ vitæ defensionem, etiam ob extremum Regni discrimen violari possit, sine expresso, liberòque pœnitentis consensu.

2. Violatur autem primò, si peccatum quodlibet veniale signatè hoc, vel illud dicas; nam dicere (*Hic est confessus venialia*) non est sigilli violatio; quia posito, quòd quis confitetur, est satis notum, quòd saltem confitea-

tur venialia: Secundò, si manifestes complices, seu locios in peccato tui pœnitentis: Tertio, si dicas (*Hic est confessus peccata venialia gravia.*) Quarto, si dicas de eo, qui lecretò voluit tibi confiteri, (*Hic est mihi occultè confessus.*) Valde propendeo ad affirmandum, immò affirmo, violari sigillum, quia datur occasio suspicandi de peccatis gravibus pœnitentis. Quintò, si pœnitentiam gravem à te impostam propales, sigillum violas, & quidem coronam Beatissimæ Virginis gravem esse pœnitentiam, non verò unum miserere, ait Diana p. 5. tract. 11. res. 31. Sextò, si Magistro v. g. dicas: (*In tuis discipulis sunt, qui tali peccato peccant*) idem si quid simile dicas de Monasterio, seu Collegio, immò de oppido parvo: nam de numerosa civitate aliquanto benigniùs est sentiendum, quando non est periculum, nec illam civitatem infamandi, nec aliquem peculiarem manifestandi. Et tamen tantum consilium est, etiam de illa tacere. Septimò, idem dic, si dicas (*illum non absolvi*) immò etiam, si addas sic (*illum non absolvi, quia confessionem non finivit*): ex utroque enim dicto magna ingeritur conjectura, quod multis gravibus peccatis ille fuerit deturpatus.

Denique Regula generalis sit, à te Confessario esse tacendum, quidquid in Confessione audisti, quod sit peccatum, vel quod redander in aliquod dedecus, vel damnum pœnitentis: ne scilicet fiat odiosa confessio; & ita rigide hoc silentium servandum est, ut si tyrannus Confessarium cogat, ut cum juramento dicat, an hoc, vel illud au-

T

diverit

et in bi...

AMBVRIN  
in  
Ecclesie Præcepto  
VARRI  
de  
E. II  
30. b.

diverit in confessione penitentis, possit Confessarius milles jurare, se nihil tale audivisse; audivit enim (ajunt omnes Theologi, & sic est) ut DEUS, qui à nemine potest cogi; non autem audivit, ut homo, qui cogi possit; custodiendum est autem dictum sigillum confessionis, primò ab ipso Confessario, secundò, ab ipso interprete, si quando per interpretem expedita fuerit confessio, tertio, ab eo, qui scripturam factam à penitente ad finem exhibendam confessionis legit (sane cum peccato, si ut primò advertens à lectione non desistat.) Quamvis non negem probabile, quòd hic ejusmodi scripturam legens, non tenetur sigillo, sed solùm ad secretum naturale, lege de Lugo de Penit. d. 23. num. 57. quòd ab omnibus iis, qui in navi ob naufragij periculum Confessario peccata publicè confitentem audiverunt.

His cognitis, supersunt tres difficultates: Prima est, an Confessarius debeat servare ejusmodi silentium etiam cum ipso suo penitente? Cùm enim fractio sigilli sit fractio secreti; secretum autem non frangitur, si loquaris cum eodem de rebus ab ipso auditis; ideo videtur Confessarius respectu sui penitentis non obligari ad servandum sigillum.

Respondeo, vel hæc difficultas petit primò, an statim data absolutione, liceat Confessario loqui de auditis in illa? Vel secundò postea, sed in alia confessione? Vel tertio in alio tempore extra duo tempora jam prædicta?

Si de primo difficultas proponatur, aio, statim ab absolutione licere, quia

judicatur adhuc esse in eadem confessione; sicut ita judicatur, quando post datam absolutionem imponitur penitentia; sed nota illud (statim.)

Si de secundo: quamvis, quando nulla, vel modica necessitas adest, expedit, non loqui de auditis in aliis confessionibus, tamen quòd in rigore est intra forum Sacramenti, id non esse prohibitum censeo; de qua re sic habet Malderus *tract. de sigillo cap. 11. ref. 20.* sicuti, quando, inquit, extra confessionem penitens de peccato, quòd confessus est, consulit Confessarium, jam satis ei dat licentiam de eo loquendi; immò hoc ipsum ab eo requirit; ita similiter, quando statum animæ suæ exponit; & de eo judicari, & tractari vult in secunda confessione, satis censetur de necessariis ad bonam directionem confessionis Confessario tractandi secum potestatem facere: quòd magis locum habet, quando peccata prioris confessionis sunt aliquo modo circumstantiæ peccatorum in secunda confessione expressorum; Hæc Malderus.

Si de tertio, ajo, in aliis temporibus à prædictis, non licere loqui cum penitente de auditis in ejus confessione; Ratio est, quia id non potest non esse penitenti molestum, ruborémque non modicum ipsi inducens: excipe semper, ut supra dictum est, nisi ipse prius consentiat.

Secunda, & tertia difficultas, celebres duas continet quæstiones: Prima est, an Confessarius possit aliquando uti cognitione habita in confessione? v. g. an Superior possit claudere fenestram,



stram, unde exibat suus pœnitens ad peccandum, quam laudendo advertit ipse pœnitens, id à Superiore fieri ex cognitione, quam ipse in confessione dedit? Secunda est, si advertent alij complices ejusdem pœnitentis, quia etiam illi exhibant, vel ad exeundum se accingebant? Hæ duæ difficultates cum sint raræ praxis, & ego latè de illis egi in opusculo de Confessione, ubi de sigillo cap. 6. ideo satis sit id ibi, & apud Doctores ibidem citatos legere.

*Pœna violentium sigillum.*

**D**enique scito pœnam frangentis sigillum esse, ipsum peccare mortaliter contra Religionem, hoc est, contra reverentiam debitam Sacramento; aliquando autem erit eti-

am contra justitiã, & fidelitatem, si manifestetur aliquod pœnitentem infamans, & certè tunc erit obligatio restituendi famam, & damnum illatum. Alia pœna latæ sententiæ contra hos violentes non est, sed solùm ferendæ *ex c. omnis utriusque sexus de Pœnit.* quæ scilicet debent per Judicem deponi à Sacerdotio, & in arctum Monasterium detrudi.

Judex autem erit Ordinarius; non vero Inquisitor (docet Castropalaus de Pœnit. p. 19. num. 1. cum aliis) licet Quintanaduennas tom. 2. singul. tr. 3. singulari 28. asserat cumulativè etiam pertinere ad Inquisitorem. Legatur Menochius de Arbitrio, ubi casu 14. distinctiùs agit de pœnis, quas huic violatori poterit Judex infligere.

## Finis Tractatûs de Confessione.



T 2

PAR-

PARERGON I.  
AD SECUNDUM ECCLESIAE  
PRÆCEPTUM.

DE

COOPERANTE CUM ALTERIUS TURPITUDINE.

LECTORI TYPOGRAPHUS.

**Q**uoniam in superioribus cap. 15. num. 12. mentio facta est pollutionis, qua manibus alterius committitur, de qua erudita concertatio fuit per duas litteras inter R. P. Tamburinum, & Caramuelem ab hoc relatas in sua Theologia Regulari tom. 2. à num. 3175. mihi visum est, rem tibi gratam, curiose Lector, saturum, si eas epistolas hinc, in proprio quasi loco, insereram, addamque germanam doctrinam prædicti R. P. Tho. Tamburini, quam ipse, Caramuelis dicta, & rationes expendens, scripto legendam oblit familiaribus suis, & eam ego typis evulgandam, ne pereat, mor dabo; animum tibi, Lector, gratificandi boni consule: & Vale.

Illustrissimo Joanni Caramue-  
li, &c. suo Thomas Tambu-  
rinus. S. P.

**U**trum posterior Theologiae fundamentalis Illustrissimae Dominationis vestrae editio in manus meas venit, legi avidè omnia: quis enim tam sublimes ingenij partus avidè non evolvat, & quae sequuntur, ad presentem quaestionem non pertinentia.

Paulò post;

In controversia, quam n. MCCCCXI. docte discutis de Sacerdote, alium non Sacerdotem, sed laicum pollente, indicas, posse me inter opinantes cum Llamas citari: oro te, atque obtestor, ut de hac re vindicationem, quæ ad tuas manus, quando id scripsisti, nondum forte pervenerat, legas (jam enim hinc inclusam mitto) & sicuti te ego meritò ibi vindico ab illa sententia Llamas; ita dignetur ab eadem me vindicare &c.

Vim.

## Vindictio Tamburini.

R. P. Diana p. 9. tract. 8. resol. 65.  
 & ab illo novissimè illustri-  
 Caramuel, in Theol. fundam. Fund.  
 so. §. 7. n. MLXV. ajunt, me in do-  
 ctina, quam trado lib. 2. meth. Conf.  
 cap. 7. §. 10. num. 66. quam modò ex-  
 scripti num. 5. sequi sententiam Hiero-  
 nymi Llamas p. 3. meth. cap. 8. jussu  
 sanctæ Inquisitionis Hispaniæ expun-  
 ctam, qua docebat, eum, qui pollutus  
 fuit alterius tactu, solum teneri expli-  
 care qualitatem suæ personæ, si igno-  
 retur à Confessario, id est, si habet vo-  
 tum simplex, vel solemnè virginitatis,  
 vel castitatis, non tamen teneri explica-  
 re complicitis, qui illum tetigit, quali-  
 tatem, nisi ipse etiam causa fuit, ut al-  
 ter etiam pollueretur.

Sed certe huic sententiæ nequaquam  
 adhaereo, immò omninò contrariam  
 semper professus sum, ut mea verba ac-  
 curate consideranti palam fiet &c.

*Omissis autem aliis, qua hic transcri-  
 bere opus non est, sic in fine vindictio-  
 nis rem totam summa claritate com-  
 prehendit, questionemque distinctè pro-  
 pono.*

Vides tertio diferimen inter tres  
 sententias, Llamas, Caramuelis, Tam-  
 burini (sic loquamur in tertia persona  
 claritatis, ac distinctionis ergò) dum  
 omnes expendant, an laicus pollutus  
 à Sacerdotis manibus debeat fateri vo-  
 tum castitatis Sacerdotis polluentis;  
 Primus absolute negat; Secundus di-  
 stinguat; Tertius affirmat absolute.

Nam Llamas absolute docet, eum,  
 qui pollutus fuit alterius tactu, solum

teneri explicare qualitatem suæ perso-  
 nae, non verò qualitatem, nempe vo-  
 tum complicitis, qui illum tangit.

Caramuel distinguens ait, Sacerdo-  
 tem polluentem duplici modo habere  
 se posse: Primò, ut dum alium tangit,  
 admittat (ut communiter solet con-  
 tingere) in se delectationem vene-  
 ream, seu certè sit in periculo illam ad-  
 mittendi: Secundò, ut in se non ad-  
 mittat ejusmodi delectationem, nec tali  
 subit periculo: id quod sanè rarissimi-  
 mum est, & forè metaphysicum: post-  
 set nihilominus, ait, evenire in tæmi-  
 na multum effæta, etiam sine illo peri-  
 culo, propter experientiam, quam  
 forè habet suæ stupiditatis; hac di-  
 stinctione posita, docet in priore casu  
 pollutum laicum debere fateri votum  
 Sacerdotis polluentis, quia pollutus,  
 dum se illi tangendum tradit, vel per-  
 mittit, cooperatur cum ipso Sacerdote  
 ad admittendam illam sensualem dele-  
 ctationem, quod est cooperari cum  
 frangente votum castitatis; Et quia  
 Llamas, absolute negans, videtur hunc  
 casum comprehendere, ideò ejus do-  
 ctina deleta meritò fuit; in postero-  
 re autem casu pollutus ille laicus (in-  
 quit) non obligatur Sacerdotis votum  
 explicare, quia tunc pollutus non coo-  
 peratur cum frangente castitatis vo-  
 tum: si enim in hoc rarissimo casu Sa-  
 cerdos nullam in se admittit delectatio-  
 nem, nec admittendi periculo se ex-  
 ponit, non peccat contra castitatem,  
 quam vovit: ergo nec pollutus coo-  
 peratur cum peccante contra votum casti-  
 tatis. Ad quid igitur illius votum pa-  
 refacere debeat?

T 3

Tam-

Tamburinus absolute affirmat, semper scilicet votum esse aperiendum: in priore quidem casu ob rationem ab ipso Caramuele jam allatam: immo videant Doctores, an ex eadem ratione fiat, ut sapientissime, ne dicam communiter, debeat explicari, quisnam te v. g. adolescentulum polluat, femina ne, an vir: nam hoc tactu facile ij concipient effectum ad tuum concubitum, vel certe subijcietur periculo concipiendi; & sic aderunt duæ malitiæ: Alter erit affectus, & consequenter tactus sodomiticus ex intentione tui concubitum, alter erit ipsa cooperatio ad tuam pollutionem, & hæc etiam à Tamburino innuuntur in illo n. 66. h. c. n. 5. dum dixit, nisi aliud addatur.

In posteriore item ex eo capite, erit votum explicandum, quia Sacerdos in illo etiam rarissimo casu suæ stupiditatis, peccat contra castitatem; cum enim ipse absolute castitatem voverit, & castitatis virtus non solum præcipiat, ut in sua persona quis non admittat sensuales motus, sed etiam ne ex industria illas positivè, & suo eodem corpore procuret in alio; is Sacerdos votum frangit, & consequenter pollutus laicus, non quidem intrinsecè propter suam pollutionem, sed extrinsecè propter sacrilegium polluentis, ad quod pollutus cooperatur, dando suum corpus, sacrilegus erit, & ut talem se in confessione manifestare debet. Addit tamen Tamburinus hanc doctrinam colligi ex illo priore principio dicto n. 14. an verò Doctrina Caramuelis possit deduci ex posteriore principio ibidem

posito, se nolle sine accurata consideratione decernere.

Dicit Caramuel, qui vovit audire missam, is cui præcipitur die Dominico eidem interesse, qui ex præcepto recitare tenetur horas &c. si audita missa, recitave officio, alium deiceret ab audiendo sacro, vel officio recitando, peccaret quidem, sed non contra votum, vel præceptum; quia ipse jam servavit pro se; pro alio autem nec vovit, nec præceptum habuit; ergo pari modo in nostro Sacerdote.


Respondeo, me certè hæc decernere nolle, jam sæpius dixi; tamen ut Lectoris curiositati indulgeam, ajo, adesse disparitatem; nam, qui vovit missam audire, solum audire, vovit, non facere audire, nec non impedire alium volentem audire; Pari modo præceptum se habet: vota n. hæc, & ejusmodi præcepta sunt de illo unico actu proprio, non verò de re ad aliud pertinente: non ita in vovente totam virtutem castitatis in sua latitudine, quale est votum, quod fieri solet in hac materia, ex communi voventium more; qui certe, dum vovent castitatem, illud vovent saltem sine dubio, ut suo corpore non admittant, nec eodem suo corpore positivè adjuvent alium ad illicita: interroga Religiosos omnes, id statim confirmabunt; cum ergo ex alia parte ad eandem virtutem adæquate sumptam pertineat, alios ab illa positivè non divertere, præsertim suo positivo, & immediato auxilio. Ideò non obscura apparet disparitas inter casum nostrum, & instantiam Caramuelis.

Dixi

Dixi autem (in castitatis voto, saltem &c.) ut abstraherem, an eodem modo se habeat votens absolute paupertatem, obedientiam, similesque virtutes. Neque enim, dicit aliquis, peccabo contra votum paupertatis, si, dum ego nihil profus usurpo, sum causa, ut tu contra tuum votum peccuniam usurpes: esto peccem contra charitatem, inducendo te ad peccatum, & sic de similibus: Ego enim (ut ab his abstraherem) in castitatis voto invenio, saltem pro modo, hoc præcipuum, sic eam votentes, omnia ad castitatem sive directe, sive indirecte pertinentia, saltem suo corpore non adjuvando, se votere implicite; & fortasse, dum angelicam, idest, omnimodam castitatem votent, etiam explicite profitentur. Disparitatem hanc attuli; cæterum adhuc repeto, me velle rem accuratio- te trutinâ pensitare.

Hæc ad defensionem meam sint disputata satis, quæ sane introspexit Reverendus Magister Sacri Palatii, dum Romæ opusculum illud hoc meum, per diligentem bis, in duplici editione ibidem data, legit, examinavit, approbavit; non approbaturus (puto) si sententiam Llamas ab Hispanica Inquisitione deletam, à me doceri notavisset.

Hanc Epistolam, & quidem integram, integramque vindicationem affert ad verbum Caramuel in Theologia Regulari tom. 2. à num. 3176. & ibique ibidem à num. 3189. sic respondet.



Eximio, & ingeniosissimo  
Viro Domino Thome Tamburino,  
&c. suus Joannes  
Caramuel S. P.

**L**teras tuas 29. Julij scriptas nimis serò recepi, & jam jam itineri accinctus respondeo, & esse doctissimas, & mihi summopere gratas, apologiam tuam, qua te ab opinione Llamas vindicas, recognovi, & in ipsa iterum ingenij tui divinitatem, & doctrinam, quam doces securitatem, suspicio, & veneror: verba illa, quæ citaveram, non esse omninò clara, & sensum pati, quem esse tuum dixerat Antoninus Diana, certum est, & fateris, siquidem §. Porro æquivocationis culpam in illam particulam *At*, (quam adversativam putabat Diana, & à te sumitur copulativè) oculatissimè, & doctissimè rejicis. Stat ergo, te diversam à Llamas opinionem habere: hoc statim in libro meo notavi, ut si quando recudatur, sciant lectores, quid sentias, & quia non tam citò fortè ille liber novos typos subibit, hoc ipsum in tertiam ejusdem operis parte, quam apparo, lectores suo loco monebo. Interim, quia §. *Vides tres opiniones ponis, & primam Llamas, secundam Caramuelis, & tertiam tibi ascribis; digneris oculos convertere ad §. Patet id quinto, ubi citas hæc verba tua: Sed jam oritur nova difficultas: An qui, habens votum castitatis, est causa inducens alios ad turpiter peccandum, debeat suum tale votum explicare? &c.*

Respondeo, non debere, &c. & ibi meo judicio, non jam tertiam, sed secundam

in bibliot.  
MEVRIN  
in  
Ecclesiæ Præcepto  
VARRI  
de  
libris adhibitis  
E II  
306

cundam, hoc est meam opinionem amplecteris.

Patere, quæso; nec te abire permittam, nam secunda illa sententia manifesta mihi videtur; & dolerem, si, ob negligentiam, illa mea, tuo doctissimo privaretur suffragio; Profertur objectionem illam meam, quam S. dicit Caramuel, adducis, meo iudicio est fortissima, & verbis illis tuis, quæ tu S. Patet id, ut dixi, allegas, valde conformis. Præterea in S. dixi autem vis castitatis votum ab alijs solemnibus votis distinguere, & quæstionem, quæ videbatur juris esse, ad dubium de facto reducis. Potest re vera aliquis hoc modo profiteri solemniter: *Ego N. promitto obedientiam, (hoc est, me superiori regulari obediturum, & nunquam consilio, aut ullo modo cooperaturum, ut aliquis subditus suo superiori non obediatur, Paupertatem (hoc est, me non habiturum rem propriam, nec cooperaturum, ut alius illicite proprietatem acquirat) & castitatem (hoc est, me non admissurum aliquam voluptatem, venercam, nec consilio, aut auxilio cooperaturum, ut alius illam procuret, aut patiatur.)* Potest etiam hoc modo: *Ego N. promitto obedientiam paupertatem, & castitatem (hoc est, me fore obediturum, pauperem, castumque; At verò me nec procuraturum, nec cooperaturum, ut alij obedientia, paupertati, & castitati non satisficiant propono quidem, at nolo me voto, vel juramento obstringere: Sanè sive vota priori, sive posteriori formula, & modo distinguantur, putarem, debere consequentiam servari; & sicut de pau-*

peritate, & obedientia, sic etiam de castitate philosophandum esse: qui enim professus esset primo modo, esset sacrilegus, nec non voti violati reus, si suaderet filiofamilias, aut etiam seculari famulo, ne suo legitimo superiori obediret. Item qui suaderet Paulo, ut furaretur, & ut libidinaretur, Francisco; tamen sic ipse nec esset inobediens, nec proprietarius, nec lascivus. Qui autem secundo modo, peccaret opere, & consilio, at illo, & non illo votum solenne temeraret; sed utroque modo emittuntur in Monasterio vota? Si dicerentur emitti primo modo, staret sola opinio tertia (hoc est tua:); corruerent prima, & secunda (id est, Caramuelis, & Llamas) servaretur tamen consequentia doctrinæ; At quia dicimus, vota emitti sensu, & intentione formulæ posterioris, stat sola Caramuelis sententia, corrumpitur.

Reponis, Votum Castitatis solenne emitti sensu primo: & hinc ego uno verbo me expedio: Scio Tamburinum meum sincerum, & doctissimum esse, ergo respondeat: Novitius fuit, didicit, docuit, libros plurimos legit, conciones audivit, & habuit: Anne juxta primam formulam fuit à Magistro Novitiorum instructus? An ab aliquo Theologiæ Professore? An illam in aliquo Casista legit? An ab aliquo Concionatore audivit? An eandem alicubi prædicavit, aut docuit? Minimè, minimè; Ego enim à Viris sanctissimis institutus, & in Moralium Theologorum libris, ut æmuli faterentur, versatus, nihil simile, vel audivi, vel legi, vel esse verum cogitavi: im-

mò aucterem afferere, me legisse in Bernardo: *Unusquisque reformare pro-mittit vitam suam, non alienam*: Notavi locum, sed quia in itinere turbata omnia, & aliqua adversaria neglecta, urgebo hoc iterum, cum recurrent verba formalia mei Bernardi. *Sed num. 3187. §. Respondeo*: instas, & ais: *interroga Religiosos omnes, id statim confirmabunt*. An non P. Antonius Cottonius est Religiosus? est Ordinis S. Francisci, Vir doctissimus & Religiosissimus, & mihi, & Dianæ nostro carus: Hunc ergo interrogo, & in summa: *Verbi Circumstantia num. 30.* sic inquit: qui habet Votum Castitatis, & sit causa, ut aliquis idem votum habens peccet, non tenetur hanc circumstantiam aperire: nec Religiosus inducens aliam Religiosum ad violandum Votum Castitatis, violat castitatem: An non respondet clarissimè? An non est Religiosus P. Acacius March, de Velasco? Cathedralicus fuit Theologiae in Universitate Valentina, ob doctrinam & pietatem maximè æstimatur ab universis. Hic ergo tom. 2. *Verb. luxuria resol. 109. num. 14.* respondet, *Se à de auertur* (ait) *que los que son causa y ocasion de que otro cometa algun peccado en qualquiera de los modos y especies rifeidos: peccare mortulmente, y sera el peccado como fuera el que causan, y ocasionan*. Ergo conjugatus, quæ suadet calibi, ut fornicetur, non committit adulterium: nec Religiosus, si idem faciat, committit sacrilegium, sed uterque peccat consilio, in genere simplicis fornicationis. Sic isti respondent, sic universi respondebunt.

Tambur. de Præcept. Eccles.

Dicis, obedientiam, & paupertatem voveri, juxta secundam formulam at castitatem juxta primam; & unde id, quælo, colligis? ex communi voventium more, ais, §. *Respondeo me certè*: Ecce quæstionem speculativam reducis ad praxim, vel vis idiotas omnes juvenes Theologos subtilissimos esse. Sanè ex communi omnium opinione non deducitur resolutio quæstionis, quam pauci proponunt, & pauciores intelligunt: ergo ad doctos tantummodò est recurrendum: sanè si humanam consideres fragilitatem (quod num. 1412. attentissimè notari volui) tangit, qui tangitur, libidinaturque, qui contactu suarum manuum, ut alius libidinem expleat, concurrat: casus ergo hypoteticus, & purè metaphysicus, qui vix, aut nunquam potest accidere, non debet ex praxi resolvi. Poëta quidem junior in hunc sensum dixit:

*Oscula dat numquam, tamen excipit  
oscula Clovi,*

*Oscula an ignoras accipiendò dari?*

Interrogo: si Petrus Sacerdos Joanni laico suaderet, ut cognosceret solutam feminam, votumne castitatis violaret? Si asseris, gravioris criminis accusas reum consilij, quàm reum facti: si negas, incidis in opinionem Caramuelis. Quid si conjugato suaderet, ut debitum solveret, an etiam votum, hoc suadendò, violaret? Et hæc sint de hac controversia latis &c.

*Alia, quæ attexuntur, ad alias quæstiones pertinent, cui tamen otium est, poterit integram, integramque vindicationem apud prædictum Caramuelem,*

U.

pra-

et in bibliis

MEVRIN  
in  
Eccles. præcept.  
de  
E II  
306:

praelegere in Theologia Regu. Tom. 2. à num. 3175. Nos, ut promisimus manu scriptum; quò prædictis à Caramuele Tamburinus respondit, hujus nimirum germanam Doctrinam affectamus.

*Germana Doctrina P. Tamburini de pollute alium.*

**C**aramuel licet ingeniosus, & doctus, non videtur bene intellexisse doctrinam meam, quam ipse in Theol. Reg. tom. 2. à num. 3189. & alibi impugnare sibi videbitur: Ego duo distinguo; alterum, an vovens castitatem, voveat etiam non hortari, non invitare, non incitare ad actus turpes alienos? & de hac quaestione assero, non neminem putare, voventem, suam vovere, non aliam, ut habeo in vindicatione §. *Pater id quintò* citato à Caramuele: addidi tamen non multò post notulam numero sequenti innuendam; alterum, an vovens castitatem, voveat etiam suo corpore non cooperari positivè ad actus ejusmodi turpes alienos? Et de hac quaestione, ajo, mihi videri, quod id etiam voveat, ut signatè in prædicta vindicatione declaro §. *In posteriore item ex eo capite* his verbis.

**CASTITATIS VIRTUS** non præcipit, ut in sua persona quis non admittat sensuales motus; sed etiam, ne ex industria illos positivè, & **SUO CORPORE** procuret in alio &c.

**A**T Caramuel hæc duo non distinguit; immò ne mentionem quidem hujus posterioris modi facit; & semper, totusque est in probando, vo-

voventem castitatem, non vovetè, aliter lascivos actus non persuadere: si solum hoc probat Caramuel, ut certè solum probant ejus argumenta, contra meam assertionem nihil agit: nam in hoc ab ejus opinione non videor admodum alienus in d. §. *Pater id quintò*. Sed minùs rectè dixit Caramuel, me ejus sententiam amplecti, nam de hac expressè sic pronuntiavi §. *in posteriore item*.

An verò Doctrina Caramuelis possit deduci ex posteriore principio posito ibidem, hoc est in §. *Pater quintò*, nolo sine accurata consideratione decernere.

**I**D quod etiam alibi notari volui; sed id, quod ego doceo, est, votum castitatis involvere etiam promissionem, quòd ipse vovens **SUO CORPORE**, unde & **SUIS MANIBUS** non cooperaturus sit cum alio ad actus illos turpes, etiam præciscendo à sua quacunque delectatione, ut contingeret in stupidissima vetula.

Ego id confirmavi ex omnium Religiosorum saltem tacito sensu: nuncidem probare contendam ex ipsius Caramuelis consensu.

Fac monialem, vel Sacerdotem stupidissimos, ut complacent homini sodomitæ, permittere, ut is agat cum ipsis præposterè, immò cum moniali vase naturali: dicetne quis hunc Sacerdotem, atque hanc monialem, quamvis nullam sentiant delectationem, nihil contra castitatem, quam voverunt, delinquere? Præterea si puer patiatursodomiticè, solum ob peccuniam sibi oblatam ab agente, nec ullam sentiat



voluptatem, immò sentiat dolorem (ut aliquando factum esse audio) nonne contra sextum præceptum puer is directè operabitur, nec solùm indirectè ex permissione, quam indulget agenti? Quòd si audeas affirmare, illum tunc peccare dumtaxat permissione peccati alterius, sequitur, quòd patiens, non peccat, si non sentiat, ut patiens, delectationem, sed solùm peccato agentis, quæ certè esset doctrina nimis à sensu omnium aliena.

Quare concludendum est: votum castitatis, saltem probabilitè, se extendere ad prohibendum voventem, ne SUI MANIBUS; suis coxendicibus, uno verbo, SUO CORPORE obscenos actus, sive suos sive alienos agat. Caramuel autem, si aliter sentit, afferat argumenta contra hanc probabilitatem, cum hætenus solùm locutus sit de persuadente, de incitante, &c. nunquam verò de cooperante cum SUO CORPORE, ut dictum est.

Pari etiam modo Cotonius, & Acaicius, quos Caramuel adducit, alijque, qui adduci possent, de cooperante per consilium, per hortationem loquuntur, non autem de cooperante cum SUO CORPORE, quæ est mea consideratio.

Idem Caramuel, T. 1. Th. Regul. suam firmare sententiam, atque ad eam infirmare, contendit his argumentis num. 989. Sic: Poterit monialis cooperari, ut Joannes reddat debitum uxori propriæ, quin contra votum castitatis procedat; quia ipsa non vovit castitatem alterius, sed propriam; ergo eadem de causa poterit

cooperari, ut Joannes incidat in pollutionem, quin frangat votum castitatis, cum ipsa non voverit vitare pollutionem alterius, sed propriam; vel assigna disparitatis causam. Hæc ibi Caramuel, quæ etiam breviter innuit in præcedente sua epistola ad me scripta §. Interrogo.

Huic argumento ex mea Doctrina facile respondetur. Distinguo enim tum antecedens, tum consequens: poterit monialis cooperari, ut Joannes reddat debitum uxori propriæ, cooperari, inquam, suasionè, invitatione, consilio, &c. concedo antecedens; poterit cooperari suo corpore; v. gr. SUI MANIBUS adjuvare Joannem ad matrimonialem congressum, nego antecedens: eadem distinctione utere pro consequenti; hoc est, ergo poterit cooperari cum Joanne, ut hic incidat in pollutionem sine voti sui fractione, esto consequentia; SUO CORPORE, profus nego; quia monialis vovit illibatam castitatem, ut supra vidimus, quæ hujusmodi obscenis immunditatis SUO CORPORE non se immiscet.

Deinde num. 990. dicti primi tomi sic idem Caramuel arguit; non minus interdictum est moniali, nubere, quàm mollitiem committere, atqui, quando cooperatur, ut Joannes reddat debitum, nihil facit contra suam castitatem, sed contra castitatem Joannis; ergo similiter, quando cooperatur monialis ad hoc, quòd Joannes habet pollutionem, nihil facit contra castitatem suam, sed contra castitatem Tertij, &c. Hæc ille.

et in bibliis:

MEVRIN  
in  
Eccle. præcepto  
de  
E II  
306

Respondeo ex eadem mea doctrina; concedendo enim majorem, distinguo minorem: quando monialis cooperatur, ut Joannes reddat uxori debitum, nihil facit contra castitatem, quando, inquam, cooperatur consilio, persuasione, &c. concedo minorem; quando cooperatur SUO CORPORE v. g. SUI MANIBUS, adjuvando Joannem ad illum conjugalem congressum, nego minorem; unde sub eadem distinctione, concedo, vel nego consequentiam.

Denique paulò post *num. 995.* Sic idem habet: quod eæ circumstantiæ omnes possint tolli (nimirum quod monialis v. gr. nulli delectationi consentum præbeat, nec sit in summo periculo consentum præbendi) affirmant aliqui, qui audierunt varias confessiones: nam si sæpè mulier in actu venereo merè passivè se habet, & ut lapis, quod fœminis nimis deditis Veneri est frequentissimum: cur non earum aliqua possit, studens proprio lucro, non propriæ voluptati, etiam sine delectationis periculo, Amasium polluere, & peccare mortaliter, non contra suam, sed contra debitam Amasij castitatem? Hactenus Caramuel.

Verùm ego sic primò aduersus ipsum, siue retorqueo, siue infirmam ejus doctrinam reddo: dicit, mulierem aliquam proprio lucro studentem, non propriæ voluptati, sine delectationis periculo Amasium polluere, & peccare mortaliter, non contra suam, sed contra debitam Amasij castitatem; quia ejusmodi mulier, nec delectationem

sentit, nec periculum subit consentiendi; Ergo, si doctrinæ consequentiam servare velit dicere tenetur, inulierem illam merè passivè, lapidis instar, se habentem, quod fœminis nimis deditis Veneri frequentissimum esse, affirmat, posse studere proprio lucro, non propriæ voluptati, & sine delectationis periculo fornicari, immò & sodomiticè pati; & tamen illam peccare quidem mortaliter, at non contra suam castitatem, sed contra castitatem Amasij, & consequenter has fœminas Veneri jam diu deditas à peccatis contra suam castitatem Caramuel liberabit, Id quod docere unquam audebit nemo.

Sic secundò, quod idem modò dixit §. *oscula dat nunquam* infirmare possum; dixit, inquam, ibi casum, de quo disputamus, esse metaphysicum, qui vix, aut nunquam potest accidere: si enim fatetur eos, qui varias confessiones audierunt, id affirmare, & fœminas valde Veneri deditas sæpè se habere, ut lapides, qua firmitate doctrinæ asserit, id vix, aut nunquam accidere posse?

Sanè novi ego adolescentulum sæpè passum esse oscula, tactusque turpes à magistro, non modò delectatione nulla, verùm etiam summa displicentia, idque ob timorem, ne ab illo malè tractaretur, & multoties ob pudorem illum à se repellendo: & quoties pater, frater, vel quilibet alius venerè osculatur puellam, puerumve innocentes, nec ulla venerea delectatione infectos? Ergo sæpè accidit, ut oscula obscanda deatur, nec reddantur tamen.

Idem

Idem Caramuel in tom. 1. Theolog. Fundamentalis fundamento 59. annum. MCCCCX. in 3. editione hanc eandem questionem tractat, eademque repetit, quæ hætenus nos attulimus, ubi pro sententia, quæ est mea, quod scilicet peccet Sacerdos contra suam castitatem, quam vovit, si alium Laicum polluat, adducit Oviedum, adducit Dianam, adducit ex parte Candidum, adducit Trullench, cujus postremi verba ab eodem Caramuele ibidem producta, sunt hæc. Hinc fit (ait Trullench.) t. 2. in Decal. lib. 6. c. 1. dub. 8. §. 1. v. 2. quando mollities committitur tactibus Professi, aut in sacris constituti, esse id in confessione aperiendum, ut bene existimat Diana; poterat etiam adducere P. Vincentium Tancredi nostræ Societatis Theologum, mihi que amicissimum 2. p. quest. moralium tract. 3. quest. 17. Jam, si hanc sententiam amplectuntur prædicti Doctores, cur in præfati epistola, quam ad me scribit Caramuel, contra meam sententiam sic exultat? An Tamburinus (ait) juxta illam ab aliquo Theologiz professore fuit instructus? An illam in aliquo Casista legit? An ab aliquo Concionatore audivit? An eandem alicubi ipse prædicavit, aut docuit? Minime, minime. Hæc ille, oblitus Doctorem, quos citaverat dicto 1. Tom. Theol. Fund. Nam profectò si tot Do-

ctores, ipso Caramuele fatente, hanc meam sententiam sustinent, ego aucter respondere possum, me ab his Doctores juxta illam institutum fuisse: Trullench non est Theologus? Diana Casista non est? Theologus non est Oviedus? Candidus, qui favet, non est Concionator, immò jex Concionatorum familia, & Theologus insignis? Legatur item Tancredi p. 1. quest. moralium tract. 3. quest. ult. ubi pro vera, hoc est, pro mea sententia in fine dictæ questionis sic habet; contrariam asserentes, hoc est, sententiam Caramuelis, non habere aliquod fundamentum.

Ad illud, quod à me querit Caramuel, an alicubi eam sententiam prædicaverim, vel docuerim.

Respondeo, me nullibi eam prædicasse, quia hoc non est argumentum in Concionibus proponendum; addo, me illam docuisse privatim cum debita dexteritate, & modestia, immò illam in mea vindicatione nuper ab ipso Caramuele posita publicis typis, clarissimè sapientibus exposuisse: unde is nimis immeritò à me inquit, an illam docuerim, cum tam manifestè, me illam docuisse non ignoret.

Hætenus de hac controversia scripsisse sufficiat; nam alia quædam ab oculatis Lectoribus non difficili negotio diluentur.

Ego Thomas Tamburinus hæc scripsi Panormi 1. Nov. 1666.

Finis Primi Parergi.

U 3

PAR.

# PARGERON II.

## AD IDEM SECUNDUM ECCLESIAE PRÆCEPTUM.

DE

### CONFESSIOE COMPLICIS SUI PECCATI.

**R**ustificabam nudius tertius de more in suburbanis nostris hortis ( Patres &c. ) ut non nihil otij indulgerem litterarijs exercitationibus meis ; quod nihilominus non pauci ex incidentibus subinde occasionebus interpellabant ; semel ergo Perillustris Vir , comite Sacerdote , eodemque peritissimo hujus civitatis animarum Curatore : me pro eorum humanitate ad meam salutem recognoscendam , convenerunt. Inter alloquia vergebat jam ad occasum sol ; atque à vicinis montibus longiores se demittebant umbræ , & nos per spatiosa pomarij ambulacra amicè confabulantes incedebamus ; ubi incidit fortè sermo de Sacerdotibus Græcis , quibus licet in Orientali Ecclesia matrimonio esse conjunctis ; an hi , si Confessoris munere fungantur , suarum uxorum exhomologeses ritè excipere valeant ? & inde modica , ut fit , ex altero sermone ad alterum , & ex grege ad armentum , transitione , in eam disputationem dilapsi sumus , sanè valdè arduam , & ancipitem valdè ; an sacer Mystra ad idem munus adscriptus , pia-

cularem Confessionem audire ejus possit , cum qua ab ipso inhonestè actum est ? Quod sub alio dicendi modo proponunt morales Theologi ; an valida sit Confessio turpis congressus cum potenter complice Sacerdote ? Et Parochus quidem , quo cum familiariter agebam , validam esse , cum Joanne Sanchez putabat ; Ego cum alijs mox laudandis , saltè ut plurimum , dissentiebam. Quoniam verò consequenti hoc anno meos auditores latè de Confessione sum , DEO favente , multa docturus , operæ pretium me facturum duxi , si prolusionis loco de proposita questione in hoc ornatissimo consessu dissererem , veram solidamque sententiam sine fallacia sectarer , eandemque vestrum omnium , ut spero , doctissimis suffragijs comprobarem.

Itaque statuo , Confessionem turpium ipsi complici exhibitam , regulariter , ut loquimur , ac terè semper , invalidam , & sacrilegam esse , ac necessariò repetendam : quamvis enim Doctores communi calculo eam fore validam , doceant : modò primò absit periculum novi lenocinij , novæque indecoræ

decõre voluptatis : modò secundo le-  
gitimus adfit animi dolor : & modò  
tertiò, legitimum item suscipiatur, &  
constans non ampliùs labendi propo-  
situm : id quod docuere S. Thomas,  
Sylvester, Angelus, Sotus, Vivaldus,  
alijque cum Diana p. 5. tract. 14. Res.  
centesima supra decimam ; tamen  
(quidquid habeat Joannes Sanchez de  
ssnt. 11. num. 16.) hi Doctores intel-  
ligendi omninò sunt, perinde ac plu-  
res ex his conceptis verbis sese intelligi  
volunt, quando certum est nullum sub-  
esse periculum. At verò ijdem addunt,  
vel addere certè coguntur, serè semper  
subesse veluti latens anguis in herba,  
probabile, ne dicam certum, oblecta-  
tionis novæ periculum, vel ex parte  
puellæ, vel ex Sacerdotis parte. Præ-  
terea latere periculum diutiùs commo-  
randi in eodem cæno : denique dolo-  
ris ex animo concepti defectum. Qua-  
propter meritò Fagundez 2. Ecclesie  
præcepto lib. 4. cap. 3. num. trigésimo  
quarto, esse lethale, complicitis ejusmo-  
di Confessionem excipere, disertè pro-  
nuntiat. Pontius item Legionensis  
lib. 7. matrimonij cap. 38. expressiori-  
bus verbis sic habet : *Confiteri complici,  
res est periculi plena, & occasio committendi non pauca sacrilegia. Quem  
enim animum esse cogites, & Confessario,  
& Pœnitenti ? Quare ratione periculi  
novi consensus, & committendi sacrilegij,  
istud illicitum esse assevero : nisi fortè in  
extrema necessitatis casu, aut quando imminente  
præcepto confessionis annua, non esset copia  
Confessoris, & ob magnum aliquod periculum,  
nulla ratione dissimulari posset omissio præ-*

cepti. Nam extra hos duos casus, dicerem, mulierem illam non habere copiam Confessoris, si non aliter, quàm Amisio confiteri potest, atque adeò non teneri præcepto Confessionis. Hæc Pontius. Hinc meritò per summam prudentiam in Concilio Mediolanensi Provinciali quarto, teste Bonacina de pœnitentiâ, quæst. 7. p. 5. lege horrendæ excommunicationis latæ sententiæ interdicitur, ne quis improbi facinoris socio pœnitentiæ Sacramentum administret.

Jam verò his, quasi primis jactatis hastis, nec toto conatu disputatis, per singula capita diligentius excurramus ; & primò quidem periculi magnitudinem explicemus. Sanchez lib. 1. in Decalogum cap. 6. num. 7. sic ait : si mulier data opera, absque ulla necessitate, se ejus conspectui præbeat, à quo turpiter se amari non ignorat, etiamsi amorem illum non intenderet ; nescio, eam à mortali culpa liberare ; jam in hunc modum ratiocinemur, auditores : si ratione periculi mortalem culpam, contrahit pudica aliàs puella ex uno non necessariò sui conspectu, quem adolescenti offert ; propterea quòd hic facili negotio in lubricam delectationem impinget, quid expectandum à Sacerdote, de quo agimus, quando amicè agit cum illo impura muliere ? Quando eadem superaddit non ingrata (ne ampliùs dicam) colloquia ? Quando præcedentium amplexuum memoriam reficit ? Quando sui amoris æstus ad integrandam confessionem deponit ? Quando oblectæna sui cordis arcana desideria faretur ? quas putatis flammæ in temerarij Sacerdotis pecto-

et in bialina

MEVRIN

in

Ecclesie præcepto

WARRIN

de

E II

30.6.

re tunc illa volens, nolens, non exci-  
tabit ?

At jam extinctæ sunt antiquæ Vene-  
ris flammæ, quandoquidem ad suarum  
culparum expiationem pœnitens acce-  
dit, idque ad emendandum fortè Con-  
fessarium : Audio, dixisti pulchrè,  
bellè narraſti ; verùm ego & scio, &  
experior, recens demortuam ceream  
facem statim in i&u oculi, ut primùm  
igni admovetur, accendi. Quid si in  
focio flamma extincta nondum fuerit ?  
(quod tibi constare nequaquam, immò  
semper timeri potest.) Tunc sanè  
proh quantum, & quàm inextinctum  
incendium excreſcet !

Collector adagiorum explicans pa-  
ræmiã illam (periculosum est, ca-  
nem intestina gustasse) sic habet : mo-  
net adagium, haud facilè temperare à  
peccando, qui semel illecebram illam,  
veluti authoramentum vitiosum degu-  
staverit : quemadmodum, qui scortum  
attigerit, qui semel perjurio rem auxe-  
rit, qui semel aulicam vitam sit exper-  
tus. Hæc ille. Et tu tam facilè, tam  
promptè, tam citò Sacerdotem tuum  
fuisse correctum, tibi persuades ; Non  
(tametsi jurejurando affirmaverit) cre-  
dam.

Atque illud quidem, quod innui,  
(quando intima sui cordis arcana ho-  
mologeta puella paterfacit) quantam,  
quamque avidam escam admovet Ama-  
ſio ? Detegere enim secreta pectoris,  
eximij amoris vehemens est incitamen-  
tum ; quod tanquam germanam ejus  
proprietas indicavit Dominus, ac  
Præceptor noster Joannis 15. *Vos au-  
tem dixi amicos, quia quacunq; audi*

*vi à Patre meo, nota feci vobis: & Ju-  
dicum 6. Samionem sic arguit Dalila;  
Quomodo dicis, quòd amas me, cum a-  
nimus tuus non sit mecum? Explicat  
Lytanus perinde, ac si dicat; quòd mi-  
diligas, manifestè falsum est, cum pro-  
prium sit diligentium, secreta sui pe-  
ctoris invicem revelare: addamus, &  
nos sapientes majores nostros; qui,  
quia eos non latebat, inter amicos sin-  
ceram haberi non posse dilectionem,  
nisi animi penetralia iidem sibi invi-  
cem denudent; nudum, nullòque or-  
natum vestimento amorem depinxerunt;  
quare admiratione dignum non  
est, si arcanorum communicatione fo-  
veatur, excitetur, accendatur amor.  
Unde nec etiam admirandum, si vobis  
ego id propugnem, quòd nimirum,  
cum amica puellula sui cordis interiora  
amico Sacerdoti, aperto veluti pecto-  
re ostendit, fieri non possit, quin ejus-  
modi Mystes vehementiore animi mo-  
tu, in eam non feratur, & mellitum ve-  
nenum, ut per aliam occasionem lo-  
quitur Plinius, mulsùmque lethale,  
vel invitus non bibat.*

Nec profectò innocens constabit a-  
mor, quamvis ex pia Confessione con-  
surgens, ut purus, & filio dignus in-  
benè moratis Confessariis consuevit  
enasci, quando probus pœnitens sui  
pectoris occulta fidei enarratione con-  
fessario, tanquam Patri, commemo-  
rat: minimè, minimè, in eo, de quo  
nostra versatur locutio. Quod me ju-  
vat ex Medicorum documentis palam  
facere: Hippocrates Medicorum Prin-  
ceps lib. 2. *Aporismo 10. Non pura cor-  
pora (inquit) quantò plus nutries, tan-*

to magis lædes. Rationem hujus pronuntiati dat ejus Commentator, Medicorūque Magister Galenus. *Quia, inquit, corrumpitur adveniens alimentum, quamquam probi succi ab humorum pravitate jam corpus obrinant.* Hæc illi. Nos verò non ab simili ratione assevetamus, quanto plus amoris, quamvis probi, & innocentis adjungas, tantò magis lædes, nam impurum & sacrilegum peccus, ac pravitate venerea infectum, facili transitu, purum illum amorem, homine etiam minus advertente, in tabem certò converteret, oblectano nimirum, & venero motu ejus cor obsidente.

Hinc etiam fit, ut ego non videam, qua ratione improbus hic factorum minister, alterius esse medicus possit, cum sit eodem contagioso morbo, infidèntque vulneribus ipse scatenus; & qui errata mulieris castiget, incessatque ipse intercutibus vitiis miserabiliter madens? Quòd enim impudicus pudicitiam alteri instillet, nullo prorsus negotio impetrabis; siquidem nunquam efficies, ut cancer rectus ingrediatur, & ambulet.

Augeretur inde malum, quia novit impudens Confessarius meretriculæ exteriora verba & actus; ac cordis occultata non novit: quare sæpe anceps, sæpe anxius de ejus mente, deque vera dilectione subdubitat. Cùm verò ea accedit ad sacrum tribunal, aperitque peccatoris ardentes faces, assiduāsque, fortasse cogitationes, ac propensiones ad eum, apud quem sua peccata (quamvis cum pœnitentia) deponit; quis ibit inficias, nefarij Sacerdotis peccus,

*Tambur. de Præcept. Ecclesi.*

vel accendi, vel accensionis evidentem aleam subire? Qui autem amat patriculum, peribit in illo, est pronuntiatum vel ipsis tyronibus vulgare: Profectò amor amorem elicit, veluti silex ignem, chalybem percutiens. Amor philtrem est potentissimum ad amorem excitandum; quod eleganter scripsit Seneca ad Lucillum, *epistola nona: Ego, inquit, tibi monstrabo amatorium sine medicamento, sine herbis: si vis diligi, dilige.*

Expendamus adhuc pressius mulieris sacrilegam confessionem: siquidem ea instituta est à Christo Domino, ut salubri confessione, & pudore, quæ in ipsa culparum narratione concipitur, excitetur in nobis alius purior de delictis commissis pavor, & dolor, prout oportet ad justificationis gratiam impetrandam: sic ad advocandum ejusmodi salutarem dolorem nobilissimi Doctores, Magister sententiarum in *quarto distinctione 7. & S. Thomas ibidem quest. 3. art. 3.* asserunt, mortis urgentis periculo (si Sacerdos præstò non sit) debere quempiam confessionem instituere coram laico, non quidem quasi profanus homo piacularem absolutionem tribuere ritè queat, sed ut verecundiâ, ac pudore apud laicum concepto eventilet, atque excitet legitimi doloris faces, & salutaris contritionis actum extorqueat. Atqui, amabo te, commemorata crimina criminis socio; præsertim amico ejusdem farinae pulvere, seu melius luto fædè consperso, quodnam pudoris vestigium imprimet? Planè nullum, Putas, id quod pudicissime protullit Tullius *l. 1. de legibus:*

X

*gsbm:*

et in bi...

MEVRIN  
in  
de  
E II  
3016

bus: erubescunt pudici etiam loqui de pudicitia: Putas, inquam, locum habere in hac muliere, & eam, dum de impudicitis tuis cum impuro amico agit, vel latum unguem erubescere? Vach! aduersus solem ne loquamur: manifestis, oro, ne repugnemus.

Confirmare tamen adhuc, quæ dicta sunt, per vulgato Judicis exemplo placeat.

Docet Sanchez in summa, iterumq; in consiliis lib. 3. c. unico, non licere, Judicis Amasiam rogare, ut ea pro te apud ipsum intercedat, non licere (inquit) ratione scandali, tum sui ipsius, cum se exponat vehementissimo labendi periculo; tum alieni, quia in idem discrimen Judicem conijcit: solam ratione urgentissimæ necessitatis, id concedunt Castropalaus, Hurtadus, aliique apud Dianam part. 3. tract. 6. Ref. Quadragesima quarta. Ubi enim ista gravis necessitas, erit potius scandalum acceptum, quàm datum, passivum, quàm activum (quorum differentiam in præsentia distinctius explicandi locus non est.) Si igitur lethale piaculum committi putatur, quando de alieno impurum Judicem mulier alloquitur, quàm magis mortifera labe inficietur ea, quæ Sacerdotem lubricè dilectum alloqui non dubitat: & quidem non de negotio alieno, sed de ipsissimo turpis amoris incendio? Hanc, tu æstimaveris, sincerum ex animo dolorem de peccato posse concipere, dum actu peccato scandali peccat? Nec ulla in re præsentis necessitas excogitari potest: nam præter mortis periculum,

aut gravem infamiam, ut initio hujus disputationis innuebamus cum Basilio, Pontio, quia tunc scandalum censetur merè passivum, nulla fingi lex potest, quæ jubeat, mulierem in eo eventu confiteri, quia reputanda tunc est, carere omni Confessario, si alius non adest, præter turpis peccati locum: factius enim tunc erit confessionem omittere, quàm sacrilegæ confessionis reum apud æternum Judicem constitui.

Nec prætermittendum est argumentum, ductum ab experientia omnium actionum tuta, fidelique magistra: siquidem ferè omnes ejusmodi confessiones procedente tempore sacrilegiæ sceleratas, fuisse deprehensas, contemptum est, novis impudicitis, vel in ipso confessionis actu, subinde refertas; & quod malorum caput est, per plurimum annorum spatia cœcissimum commercium perdurasse. Quare sæpe justissimo Dei judicio, hos impios hominologetas, propterea quod sæpe in confessionibus sollicitatores fuerint, ad sacrum inquisitorum tribunal fuisse delatos, non ignoramus; de quibus libeat exclamare. O fidos ovium Custodes, ut ajuat, lapsos; ergo (ne in sole caligemus auditores) confessiones turpium cum socio sacrilegæ regulariter existimandæ sunt, cum regula desumenda sit ex his, quæ ut plurimum & frequenter eveniunt, sic pronuntiante communi jure, lege in obscuris H. de Regulis Juris; in obscuris inspicere solet, quod verisimilius est, aut quod plerumque fieri solet.

Denique si hæc argumenta inferioris ordinis, hoc est, (humani ingenij) apud pertinacem aliquem non evincunt;



cunt; evincat locupletissimum testi-  
monium à cælo latum. Etenim Cæsa-  
rius l. 3. c. 24. id enarrat, quo hæcenus  
propugnata sententia confirmatur; da-  
bo ejusdem Cæsarij verba, ne scilicet,  
si alio utar stylo, hoc est, meo, à sin-  
cera simplicis narrationis veritate, ali-  
quid detrahere videat.

In quodam loco (ait) Sacerdos qui-  
dam nuper defunctus est, cui Superior  
ob meritum vitæ injunxerat, quatenus  
fratrum suorum confessiones audiret.  
Erat in eodem loco adolens quidam,  
qui ad eum confitendi causa frequen-  
ter veniebat, cum quo, dæmone insti-  
gante, & humana fragilitate consenti-  
ente, idem Confessor semel tantum-  
modo peccavit. Statim opere perpe-  
trato cæpit dolere, & flere amarissime,  
dicebatque juveni: malè fecimus; ali-  
is hoc peccatum confiteri non possu-  
mus, sed consulo, ut tu mihi confitea-  
ris, & ego tibi, alterque ab altero su-  
scipiat penitentiam. Placuit consili-  
um: confessi sunt in vicem peccatum  
parvo post tempore Sacerdos idem in-  
firmatus est usque ad mortem; & cum  
jam in extremis ageret, timore gehën-  
næ, peccatum superiori confessus est,  
& obiit. Post mortem clara die appa-  
ruit adolescenti, facie lurida, & etiam  
veste trita, dixitque illi: In maximis  
penis sum propter peccatum illud tan-  
tum, quod tecum commisi: ab ignea  
enim catena astringor, & nisi in extre-  
mis peccatum Superiori in confessione  
expressissem, æternaliter damnatus fu-  
issem. Si tu purè, & plenè confessus  
fueris peccatum nostrum, mihi mul-  
tum proderis; sin autem, æterna pœna

te suscipiet, sicque disparuit. Terri-  
tus Juvenis fecit coram Superiore con-  
fessionem. Hæc Cæsarius.

Porro ubi prædictam defuncti mo-  
nitionem relcribit à Cæsario P. Joan-  
nes de Major nostræ Societatis v. *Com-  
munio, exemplo decimo speculi*, hanc  
notationem affigit. Potest quidem,  
inquit, esse confessio valida, & abso-  
lutio data ab eo, quo cum aliquis pec-  
cavit turpiter; sed quia sæpe (addo  
ego, ferè semper) contritio abest, cum  
aliquis confitetur complici; ideo po-  
tuit fieri, & potest sæpe accidere (dica-  
mus nos, ferè semper) ut talis confes-  
sio sit inutilis ad salutem. Hæc Joan-  
nes de Major.

Istuc nimis imprudens Mystes, &  
sibi, ut liber, tam grande periculum,  
liquidissimas æterni regni delicias pro-  
digendi, teque cum tuis amoris flam-  
mis in flammis ardentiores, æternum  
immergendi. Jam de proposita qua-  
stione hæc pauca dixisse sufficiat. Nam  
extra modum vestra benevolentia abu-  
teret, si in longiorem cursum protrahe-  
rem orationem meam, quod ob argu-  
menti amplitudinem certè possem. Id  
tamen unum adjicere fas esto, pro quo  
sentio, mihi aurem vellicari, ut illud  
explicem, unde initium sumpsit dispu-  
tatio de confessione complicum; quid  
scilicet decernendum de Conjugibus  
Orientalis Ecclesiæ concedentis legiti-  
mas nuptias Sacerdotibus? Morem  
vobis, sed brevibus geram.

Glossa in capitulo, omnes, trigesima  
q. 2. sic proponit hanc dubitationem,  
ac diluit; nunquid, ait, Sacerdos Ori-  
entalis Ecclesiæ audiet peccata uxoris  
suz?

sua? Non, quia nec ipsa ei liberè confiteretur, si commisit adulterium. Fa-  
gundez etiam id approbat 2. *Ecclesia*  
*Præcepto lib. 4. cap. 3. n. 34.* qui, cum  
docuisset peccare, mortiferè Sacerdo-  
tes, si faminarum, cum quibus scelera-  
tè se gerunt, confessiones excipiant,  
addidit, sic etiam Sacerdos Græcus non  
debet audire uxorem. Hæc ille jejune  
fatis. Verùm, ejus, & Glossæ pace,  
solidam hujus sententiæ rationem ne-  
quaquam video: nisi etiam timor ad-  
sit diminutæ confessionis, ut contingeret  
ob commissum adulterium, vel  
quid simile, quod solùm notare debu-  
isset Glossa, non apparet ratio, cur u-  
xoris homologesim audire ritè non  
possit Conjux Græcus: illa enim, de  
qua modò nostra processit disputatio,  
*complex erat, & socia peccati Confes-*  
*sarij,* quæ certè criminis societas pro-  
fus exulat in uxore, Græcòque Sacer-  
dote sancta nuptiarum Lege colliga-  
tis,

Atque hinc fit, ut semper illa distin-  
ctio sit nobis ante oculos observanda,  
ut quæ diximus de sacrilega confessio-  
ne turpium cum complice Sacerdote,  
ad alia alterius classis peccata non sint  
facilè extendenda, quale esset exempli  
gratia furtum, blasphemia, perjurium,  
& similia: quamvis enim aliqua mulier  
consentiente Confessario, damnum  
v.g. alicui adversus justitiam intulerit,  
cum hujus delicti confessio non sit, ut  
plurimum, causa, immò nec occasio  
proxima, atque adeò proximum peri-  
culum iterum peccandi, vel in eodem  
peccato persistendi, vel consuetum  
contritionis, aut attritionis actum non  
eliciendi, ex quibus capitibus turpium  
confessionem à complicitibus ablegavi-  
mus; ideò nisi quid aliud incommodi  
intercurrat, non erat in aliis delictis,  
eodem modo, ac in turpibus, deciden-  
dum. Atque hæc de contentione orta  
orta ex sociali crimine hæcenus dispu-  
tata, sint satis.



PAR-

PARERGON III.  
AD SECUNDUM ECCLESIAE  
PRÆCEPTUM.

DE

JUBILÆO.

S. D. N. D. CLEMENTIS DIVINA PROVI-  
DENTIA PAPÆ X.

*Jubilæum universale ad implorandam Divinam opem  
contra Turcas Clemens Papa X. Universis Christi  
fidelibus presentes litteras inspecturis salu-  
tem, & Apostolicam Benedictionem.*

**I**nter gravissimas, multipli-  
cesque curas, quibus ex Sa-  
cro sancti Apostolatus hu-  
militati, atque infirmitati  
nostræ divinitus crediti munere assidue  
urgemur, illa animum nostrum acrius,  
vehementiusque angit, & lancinat sol-  
licitudo, quam de florentissimi olim  
Poloniæ Regni rebus formidabili Tur-  
carum potentia, atque immanitate  
summum in discrimen adductis, corde  
jugiter versamus: quis enim aliquo  
honoris DEI zelo, atque pietatis sensu  
præditus in lucuosam tam potentis,  
tantaque rerum pro Christiana Reli-  
gione fortiter gestarum gloria longè,  
latèque fulgentis Regni faciem mentis  
oculos, absque lacrymis conjicere pos-

sit? Quis ad gravissima, quæ universæ  
Christianæ Reipublicæ imminent pe-  
ricula, non expavescat? Expugnata  
siquidem nuper Camenecia, quæ in-  
fensissimorum Christiani nominis ho-  
stium impetus non semel cohibuerat,  
atque fregerat, immittis Turcarum  
Tyrannus, eo successu inflatus, pro in-  
explebili, qua flagrat, dominandi, im-  
perii que sui confinia dilatandi libidine,  
victricia arma quaqua versum circum-  
ferre, arces, oppida, civitates, & pro-  
vincias debellare, populos servitute op-  
primere, & miserandam in captivita-  
tem abducere, ac Mahumetanæ perfidi-  
æ abominationem vi, terrore, dolo,  
omni que conatu in agro DEI viventis  
plantare non cessat, totamque Rempu-  
blicam

X 3

blicam

et in bi...

MEVRIN  
in  
Ecclesie Præcepto  
PARERGON  
de  
Jubilæo  
E II  
30.6.

blicam Christianam clade involuere molitur. Verùm exclamare licet cum Propheta: quis dedit in direptionem Jacob, & Israël vastantibus? Nonne Dominus, cui peccavimus? Ita est planè, longanimum DEI patientiam proritant hominum flagitia, ejusque vindictam accersunt: nam, ut subjungit idem Propheta, noluerunt in vijs ejus ambulare, nec audiverunt legem ejus, & effudit super eum indignationem furoris sui, & fortè bellum: sed qui pius est, misericors, & clemens, patiens, & multæ miserationis, qui non vult mortem peccatoris, sed magis, ut convertatur, & vivat; effundet in nos divitias misericordiarum suarum, si iniquitates nostras, quibus eum offendimus nimis, humili confessione agnoscentes, illasque dignis pœnitentiæ fructibus expiare satagentes, offeramus ei cordis contriti holocausta, & orationes nostras jejuniorum, atque eleemosynarum viribus roboratas, tanquam incensum super altare ejus adoleamus in odorem suavitatis. Hoc itaque unanimi charitatis fervore agamus omnes, Patrem misericordiarum, & DEUM totius consolationis concorditer invocemus, ut Dominator exercituum, qui conterit bella ab initio, erigat brachium suum, sicut ab initio, & allidat virtutem inimicorum nostrorum in virtute sua: & qui facit pacem in sublimibus, ille fideles suos fortiter vinciat concordiarum nexu, & induat fortitudine, quæ de cælo est, ut hostes nostros, qui in multitudine contumaci, & superbia venientes hæreditatem DEI nostri delere satagunt, protegente Domino, in

cujus manu est salvare in multis, & in paucis, dissipent, & disperdant, atque à Christianorum cervicibus longè repellant: quæ, ut fructuosius, majorique spiritus ardore peragantur, ex pristino Romanæ Ecclesiæ, omnium matris, & magistræ more, cœlestium gratiarum Thesauros, quorum dispensationem nobis commisit DEUS, in præsentibus necessitatibus aperire, & liberali manu erogare decernimus. Igitur ex parte Omnipotentis DEI Patris, & Filij, & Spiritus Sancti omnes, & singulos utriusque sexus Christi fideles, tam in Alma Urbe nostra, quàm extra eam ubicunque locorum constitutos, Apostolica auctoritate paternè requirimus, monemus, & hortamur ad inscripta devotè peragendum, ac ad DEUM Salvatorem nostrum toto corde orandum, ut per viscera misericordiarum suarum Religionem Christianam, fidemque Catholicam tueri, & protegere, nefariorumque illius hostium Turcarum impetus reprimere, vires conterere, & consilia dissipare, Polonorum animos dissidijs distractos reconciliare, ac in pristina charitatis, atque unionis compagem restituere, Principibus Christianis pacem, & veram concordiam donare, & firmiter solidare, eorumque vires, & consilia ad tutelam Christiani nominis, Sanctæ matris Ecclesiæ exaltationem unire, augere, firmisque præsidij munire, ac pijs omnium nostrum laboribus, atque conatibus felices successus largiri dignetur. Nos enim de Omnipotentis DEI Misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, ejus auctoritate confisi, ex illa

illa ligandi, & solvendi potestate, quam nobis Dominus, licet indignis, contulit, universis, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus in Alma Urbe nostra degentibus, qui solemnibus processioni, quam aliqua die proximè venturæ hebdomadæ ab Ecclesia Sanctæ Mariæ super Minervam ad Ecclesiam Sancti Stanislai Nationis Polonorum de eadem Urbe una cum Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, nec non Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, quos in Romana Curia adesse contigerit, ac Christianorum Regum, & Principum Oratoribus apud nos existentibus, Prælatibus quoque, & Officialibus ejusdem Curia, Universoque Clero, & Populo benedicente Domino agemus, devotè interfuerint, vel S. Joannis in Laterano Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris Ecclesias, seu Basilicas, vel earum aliquam intra spatium ejusdem, vel proximè subsequenti hebdomadæ saltem semel visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devotè, ut supra, DEUM oraverint, ac quarta, & sexta feria, ac Sabbato alterius ex præfatis hebdomadis jejunaverint, & peccata sua confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Dominica die immediatè sequenti, vel alia die intra eandem hebdomadam reverenter sumpserint, ac pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint; cæteris verò extra Urbem prædictam ubicunque degentibus, qui Ecclesias ab Ordinarijs locorum, vel eorum Vicarijs, seu Officialibus, aut de eorum mandato, & ipsis deficientibus, per

eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum noticiam hæc nostræ pervenerint, designandas, vel Ecclesiarum hujusmodi aliquam spatio duarum similiter hebdomadarum à publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, seu Officiales, & alios, ut præfertur, faciendæ decursu, harum saltem semel visitaverint, ibique ut supra oraverint, ac quarta, & sexta feria, ac Sabbato alterius ex hebdomadis hujusmodi jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die Dominica immediatè sequenti, vel alia die intra eandem hebdomadam Sanctissima Communione refecti fuerint, & pauperibus aliquam eleemosynam, ut præmittitur, erogaverint; plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem, sicut in anno Jubilæi visitantibus certas Ecclesias intra, & extra Urbem prædictam, concedi consuevit, tenore præsentium concedimus, & largimur. Navigantes verò, & iter agentes, ut, cum primum ad sua se se domicilia receperint, superscriptis peractis, & visitata Ecclesia Cathedrali, vel majore, aut Parochiali loci eorum domicilij, eandem Indulgentiam consequi possint, & valeant. Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuò degentibus, nec non alijs quibuscunque tam laicis, quàm Ecclesiasticis sæcularibus, vel Regularibus, etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocunque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa

Con.

Confessarius ex jam approbatis à locorum Ordinarijs ante præsentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quæ ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus. Insuper omnibus, & singulis Christi fidelibus utriusque sexus tam laicis, quàm Ecclesiasticis, sæcularibus, & Regularibus cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, tam in Urbe prædicta, quàm extra eam, ubique locorum, ut præfertur, degentibus, licentiam concedimus, & facultatem, ut ipsi ad hunc effectum eligere possint quemcunque Presbyterum Confessarium, tam sæcularem, quàm cujusvis Ordinis, & Instituti regularem ex approbatis, ut præmittitur, à locorum Ordinarijs, qui eos ab excommunicationis, suspensionis, & alijs Ecclesiasticis sententijs, & censuris, à jure, vel ab homine quavis causa latis, seu inflictis, nec non ab omnibus peccatis excessibus, criminibus, & delictis, quantum vis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinarijs, sive nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam in litteris die Cœnæ Domini legi solitis contentis, & alias per quascunque nostras, aut Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis quomodocunque reservatis in foro conscientie, & hac vice tantùm absolvere, & liberare valeant. Et insuper vota quæcunque (Religionis, & castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria ope-

ra commutare, injuncta tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentia saluari, alijs ejusdem Confessarij arbitrio injungendis, Quapropter tenore præsentium in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipimus, atque mandamus omnibus, & quibuscunque venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs Ecclesiarum Prælati, ac quibuscunque Ordinarijs locorum, ubicunque existentibus, eorumque Vicarijs, & Officialibus, vel ijs deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, ut cum præsentium litterarum, transumpta, aut exempla, etiam impressa acceperint, illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedimento per suas Ecclesias, & Dioceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & loca publicent, & publicari faciant, Ecclesiamque, seu Ecclesias visitandas designent. Non intendimus autem, per præsentem super aliqua irregularitate publica, vel occulta, Nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate, quoquomodo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientie, neque etiam easdem præsentem ijs, qui à nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælate, seu Judice Ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu alijs in sententijs, & censuras incidisse declarati, vel publicè denunciati fuerint, nisi intra tempus dictarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere. Non obstantibus

stantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, præsertim quibus facultas abfolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles Indulgentiarum, & facultatum huiusmodi concessionibus, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, nec non regula nostra de non concedendis indulgentiis ad instar, & quorumcunque ordinum, & Congregationum, sive institutorum Regularium etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegijs quocunque indultis, & litteris Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Instituitis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis, quibus non omnibus, & singulis, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter, nominatim, & expressè ad effectum præmissorum derogamus, ceterisque contrarijs quibuscunque. Ut autem præsentibus no-

stræ, quæ ad singula loca deferri non possunt ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus ut earundem præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, ubique locorum, & gentium eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostense. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die quinto Novembris M DC. LXXII. Pontificatus nostri anno tertio. I. G. Slusius.

Anno à Nativitate D. N. JESU Christi Millesimo Sexcentesimo Septuagesimo Secundo Ind. X. die vero 5. Mensis Novembris Pontificatus, Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papa X. anno ejus tertio supradictum Breve affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Lateranensis Principis Apostolorum, & S. Mariae Montis de Urbe, & in Campi flora, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Gregorium Stagium Sanctissim. D. N. Papa Cursorem Carolus Franciscinus Mag. Curs. Roma, & iterum Panormi, ex Typographia Petri Coppula Impressoris Cameralis 1673. Impr. Cuzzolinus G. & V. G. Imp. R. Joppulo. P.